

11-6-11

Fe. 116.  
Held. 1785.  
v.





*Q. D. B. V.*  
TRACTATUS HISTORICO-  
MORALIS  
DE  
NUMMIS IN ORE  
DEFUNCTORUM  
REPERTIS,  
*QUEM*  
UNA CUM  
PRÆCIPUIS IN SEPULTURA  
ETHNICORUM, JUDÆO-  
RUM ET CHRISTIANORUM  
OBSERVATIS CEREMONIIS,  
*ORBI LITERATO*  
*SISTIT*

M. CHRISTIAN EHRENFRIED  
SEYFFERT,  
*S*

---

*DRESDÆ & LIPSIAE,*  
Apud JOHANNEM CHRISTOPHORUM  
MIETHEN, 1712.

KÖN. PR. FR.  
UNIVERS.  
ZVHALIE





DUUM-VIRIS  
MAGNIFICIS ET EXCEL-  
LENTISSIMIS

DOMINIS,  
DOMINO

D. ABRAHAMO  
CHRISTOPHORO  
PLAZIO,

HÆREDITARIO  
in *Modau*,

Jcto Celebratissimo, Re-  
giæ Majestatis Polonicæ, & Sere-  
nissimi Electoris Saxonæ Appellationum  
Consiliario Gravissimo, Electoralis &  
Ducalis Curia Provincialis Supremæ  
ut & Scabinatus Assessori, ac Consuli  
meritissimo, nec non Ecclesiæ Divi Ni-  
colai Lipsiensensis Anstiti  
fidelissimo

UT ET

DOMINO  
D. JOHANNI  
FRANCISCO  
BORNIO,

Jcto Famigeratissimo,  
Regis Poloniarum & Ele-  
ctoris Saxonici Consiliario &  
Canonico Martisburgensi, Electo-  
ralis & Ducalis Curiae Provincialis  
Supremæ, & Consistorii Eccle-  
siastici Lipsiensis ut & Ducalis Ju-  
dicii inferioris Lusatiae respecti-  
ve Directori & Assessori Gra-  
visimo, Reip. Lipf. Se-  
natori Spectatis-  
simo,

DOMINIS ET MÆCE-  
NATIBUS SUIS  
MAXIMIS.



**VOBIS,**  
**VIRI EXCELLENTIS-**  
**SIMI, PATRONI**  
**GRAVISSIMI,**

**V**OBIS, inquam, *Tractatum*  
*hunc Historico - Moralem*  
*submissa mente manuque of-*  
*fero, non ut beneficia Vestra per*  
*multos annos in hanc usque diem*  
*in Parentes pariter ac tenuita-*  
*tem meam collata, exequaret:*  
*Tanta enim sunt, ut in hac mor-*  
*talitate refundere facultas mihi*  
*desit; Sed ut partim observanti-*  
*am & gratitudinem meam ali-*  
*quo modo VOBIS declararem,*  
*partim*



partim benevolentiam ac favo-  
rem Vestrum mihi denuo concilia-  
rem.

Accipite igitur, *EVERGETÆ*  
*MAXIMI*, exiguum hoc, certum  
tamen meæ erga *VOS* debita obser-  
vantia Tenūq; iou serena fronte &  
meis mihiq; uti hæctenus, ita im-  
posterum favete, meaque studia  
fovere ac promovere haud desisti-  
te, *DEO TRINUNO* serio com-  
mendati, qui cursum omnium  
Consiliorum Vestrorum secundet,  
Vosque, *Reipublicæ* & *Ecclesiæ* in-  
columnes servet & florentes quam  
diutissime. Hæc *Vota* ardentissi-  
me nuncupata, ut rata habeat re-  
rum omnium prepotens Creator,  
devotamente orat atque precatur

*Illustrium Virtutum Vestrarum.*

*perpetuus Admirator atque  
Cultor*

*M. Christian Ehrenfried  
Seyffert.*





JOVA JUVANTE.  
PROEMIUM.

**A**D INCERTAM FUTU-  
RORUM CONTIN-  
GENTIUM PRÆSCIEN-  
TIAM, de qua in peculiari Di-  
sputatione Philosophica, primis  
annis Academicis pro ingenii mo-  
dulo egi, varia mortalium judi-  
cia neuntquam referre possum, de  
his enim, licet futuris contingen-  
tibus, infallibilem mihi formare  
valeo præscientiam, imo certissi-  
mus sum, me quoque instituto hoc  
meo, eandem experturum esse sor-  
tem cum iis, de quibus haud in-  
congruè prædicatur proverbium:  
Laudatur ab his, culpatur ab illis.  
Judiciis tamen hominum quem-  
cumque ingenii mei fœtum **DE**



NUMMIS IN ORE DE-  
 FUNCTORUM REPERTIS,  
 in presentiarum exponere eò mi-  
 nus dubitavi, quò magis mihi in-  
 cubuit, DOMINIS AC MÆ-  
 CENATIBUS meis, cum ma-  
 ximi obsequii cultu venerandis,  
 aliqualem saltim studiorum meo-  
 rum exhibere fructum, obstrictis-  
 simumque ipsis animum pro in-  
 numeris in me collatis beneficiis  
 declarare. Hinc benignum L. H.  
 mihi expeto iudicium, & ut equi-  
 bonique laborem hunc meum con-  
 sulas, decenter rogitò; Cum enim  
 nihil sit, quod in imperfecto hoc  
 mortalium rerum statu, ex omni  
 parte perfectum dici possit, hinc  
 non inique feres, si & hoc sche-  
 diasma non penitus perfectioni ex  
 voto tuo respondeat. Nec per-  
 fectum opus, & quod totam hanc  
 materiam exhauriat, Tractatu  
 hoc promitto, quin potius ea  
 inve-



invenies, quæ ad uberiores ex-  
 planationem Disputationis Hi-  
 storico-Moralis, DE NUMMIS  
 IN ORE DEFUNCTORUM  
 REPERTIS, quam Frater di-  
 lectus, Christian David Seyffert,  
 Anno MDCCIX. die xxvi. Ja-  
 nuarii sub presidio meo ventila-  
 vit, omnino pertinent. Quem-  
 admodum autem in Divini Nu-  
 minis imprimis gloriam, proximi  
 emolumentum, ut & levium stu-  
 diorum commendationem, Aca-  
 demicum hoc exercitium propo-  
 suimus, ita occasionem illud spe-  
 ciatim thema pertractandi, va-  
 na mortalium cupiditas nobis  
 suppeditabat. Tanta nimirum  
 tam pristinis quam nostris tem-  
 poribus multorum hominum  
 mentes occupavit avaritia, ut  
 non solum ingentes auri argenti-  
 que thesauros in vita colligere  
 anxie studeant, sed etiam, si in



morte iis priventur, iniquè fe-  
 rant, possessionem illorum, licet  
 absurdam & impossibilem post  
 mortem avidè adhuc expeten-  
 tes. Haud paucos certè invenies  
 eorum in Historicorum monu-  
 mentis, qui superstitionem suam  
 maximè prodiderunt in eo, quod  
 magnam pecunia summam ex  
 vita migrantium comitem & in  
 sepulchris custodem quasi esse jus-  
 serint, quinimò alii id ipsum ex-  
 presse sibi ante mortem depoposce-  
 runt, alii verò superstitionis hu-  
 jus vanitate abrepti putarunt,  
 defunctos inde maximum per-  
 cepturos esse fructum, si aliquam  
 pecunia speciem oribus ipsorum  
 ingererent. Ad discutiendum  
 verò superstitionis hujus ritum  
 & vitium nostra conscripta erat  
 Disputatio. Accipe nunc, L. H.  
 iteratam ejus editionem, & qui-  
 dem in forma **TRACTATUS**  
 HISTO-



*HISTORICO - MORALIS, in quo superaddita sunt ea, quae antea ob temporis penuriam, paginarum angustiam, & Bibliotheca defectum a nobis fuerunt omissa. Horis subcisiuis enim haec ipsa collegi, collecta in ordinem redacta praesentes pagella tuis exhibent oculis. Ordinem, quem in dissertatione amplexi fuera-  
mus, hic non immutavi, sed eadem duo capita invenies, quorum primum *Thematis Historiam*, ut & ritus hujus finem diversum; Alterum vero *Moralitatem* ejus expendit.*

TU VERO, SUPREME PAREN-  
S, MEIS, QUÆSO, CLEMEN-  
TENTER ANNUE  
COEPTIS!





# CAPUT I.

DE

## NUMMIS IN ORE DEFUNCTORUM REPERTIS.

### SUMMARIUM.

§. I. De Sepulturæ apud Ethnicos, Judæos & Christianos antiquitate, ut & harum gentium in sepeliendis suis ceremoniarum diversitate. §. II. De Lotione. §. III. De Uctione. §. IV. De Vestitu. §. V. De Sepulturæ Loco. §. VI. De Sepulchrorum Luxu. §. VII. De pecunia in sepulchris reperta. §. VIII. De Nummis in ore defunctorum repertis. §. IX. De origine hujus consuetudinis & sine indendi nummum in os defuncti. §. X. De consuetudinis istius veritate atque ejus antiquitate agit.

§. I.

**A**Ntequam morem istum Ori Defunctorum Nummos indendi, quoad omnes, quas colligere potui circumstantias, describam, non abs re esse existimavi, modum & ceremo-



remonias istas paucis saltem delibare, quibus gentes omni tempore famigeratissimæ, Ethnici scilicet, Judæi atque Christiani, in componendis mortuis suis usi fuerint. Antiquissimam esse consuetudinem, corpora defunctorum terræ mandare, nemo facile erit, qui in dubium vocare audeat, quin potius Historicorum monumenta unanimi consensu comprobant, eam à primis mundi seculis ab Ethnicis, Judæis, atque postea etiam à Christianis observatam fuisse. Ante sepelitionem autem diversæ hæ gentes, diversa semper usi sunt ratione. Jam non moror ea, quæ in agone constitutis fuerunt exhibita. De quibus inter alia compertum habemus, quod propinquâ cognatione conjuncti, cæterique præsentibus eos amplecti & osculari soliti



fuerint, donec animam exhalarent. Oscula enim & mortuis dare priscò more usurpatum est, ut docet (1) exemplum Josephi, Patrem Jacobum post fata etiam osculantis. Sic & Augustus, Cæsar in osculis Livix decessisse apud Svetonium (2) legitur. Observabatur autem isthæc osculandi consuetudo, partim quia, ut peregrè abeuntes, sic quoque ex hac vita emigrantes osculo quasi ore contracto exhibito amoris indicio (3) in ultimo itinere & discessu dimittendos esse censebant, partim quia exeuntem animam hoc modo excipere appositò hiatu, & in se transferre se posse stulta credebat gentilitas, id quod Kirchmannus (4) pluribus annotavit. Peculiare tamen hoc Judæis fuit, teste Schickardo, (5) ut mortuorum pollices exartificio in volam depresserint, ut pugni rugæ cognomen-



gnomentum Dei <sup>et</sup> pulchrè re-  
 præsentaverint. Idem auctor l. c.  
 pluribus refert, quomodo adstan-  
 tes ægroto ultimum singultiente  
 ac animam exhalante vestes suas  
 laceraverint. Sed satius est, & pro-  
 pius ad propositum meum acce-  
 dit, ut videam, quomodo Gentes  
 supra dictæ oculis mortui com-  
 pressis, ore decenter composito,  
 membrisque cæteris ad pristi-  
 nam & naturalem formam redu-  
 ctis, corpus ejus lavare, ungere  
 & vestire soliti fuerint. Horum  
 enim cognitio planam mihi red-  
 det viam ad accuratius perpen-  
 dendum id, quod instituti mei  
 maximè est.

- (1) *Gen. L. v. 1.* (2) *In vita Augusti Caf.*  
 (3) *Juxta Josephi Langii Polyantbeam.*  
*Libr. XIII. p. 932.* (4) *Lib. I. cap. V. de*  
*Fun. Roman.* (5) *In jure Regio Hebræo-*  
*rum cap. VI. Theor. XIX.*



## §. II.

Lotionem igitur quod attinet, quam è vita migrantibus adhibere consueverunt mortales, non est, ut multis exemplis probem, eam apud Græcos in usu fuisse, cum & iis satis superque hoc notum sit, qui res Græcas vel primis saltim labris degustarunt. De Hyrcanis, Parthorum vicinis (1) novimus, solenne ipsis fuisse, ut de mortuorum corpora vino abluerent, quod post abunde fusas lacrymas ac sepelitionem & bibere posthæc solebant. Et inter Romanos obtinuisse, longa exemplorum serie probare supervacaneum esse puto, neque enim in re tam levi adeoque manifesta multis opus est verbis. Ista verò Lotio a mulieribus peracta fuit, quæ peculiari nomine *Funera* dicebantur. Judæis, itidem solenne

lenne



lenne fuit, corpora defunctorum lavare, de quo Buxtorffius (2) hunc in modum differit: *Aquâ calidâ studiosè abluatur mortuus, ut purus & mundus sit, quum peccatorum ratio reddenda sit. Ovum insuper acceptum cum vino agitantes permiscent, & capiti ejus illinunt. Ipsum corpus Christi Salvatoris nostri sanctissimi & immaculati agni post mortem ablutum fuisse, Chrysostomus non dubitat, expressè enim ita scribit: (3) Joseph sepelivit Jesum, non ut reum, sed magnificè secundum consuetudinem Judæorum. Cum autem tempore urgerentur, hora enim nona mortuus erat, & dum eum à Pilato peteret, & dum lavarent, jam vespera adventarat. In Ecclesia Novi Testamenti lotionem istam feralem observatam fuisse, satis clare ex Actis Apo-*

Apo-



Apostolorum patet (4) ubi de Tabitha legitur, quod mortua lavata atque in cœnaculo posita sit. Nec postea etiam omissa fuit, ut Dionysius Alexandrinus, ceremonias in Christianorum funeribus describens, apud Eusebium (5) his annotavit verbis: *Sanctorum corpora manibus erectis supinisque excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris cadavera, decenter ornare, illis adherescere, amice complecti, lavare accurate & linteo funebri involveresolent.* Inter hodiernos quoque Christianos morem istum corpus post mortem lavandi adhuc vigere, neminem fugit, ubi tamen omnis superstitionis vanitas vel abest vel abesse debet.

- (1) *Ant. Guevarra in güldenem Send-Schreiben/ Part. I. p. 144.* (2) *Synagog. Judaic. cap. XXXV.* (3) *Homil. LXXXIV. in Job.*  
 (4) *Cap. IX. v. 37.* (5) *Lib. VII. Histor. Eccles. c. ap. XVII. §. III.*



§. III.

Lotionem in componendis defunctis Unctio excipiebat. De Hyrcanis, quorum in antecedenti §. facta fuit mentio, idem Gyevarra loco cit. refert, quod vino abluentes corpora mortua simul eadem oleo liniverint, quod deinde in ciborum condimentum studiosè asservaverunt. Priscos Græcos adeò fuisse unguentorum studiosos, ut statim exploratum haberent, ecquod unguentum cuique membro humani corporis esset accommodatum, inter alios Plinius (1) affirmat. Apud Romanos equidem inutilem consuetudinem istam fuisse, facile aliquis putet, quia corpora defunctorum in rogam imponere & comburere, non verò integra servare solebant. Sed si accuratius attendamus ad Romanorum mores,

colli.



colligere licebit, quod cadaveribus jam comburendis, vel nitori vel munditiei studentes, vel luxus causa unctionem adhibuerint. Nec etiam ultimam puto rationem, ut celerius cadaver flammam conciperet, atque foetor lethalis & molestus halitus, quem caro exanimata reddit, abigeretur. Audiamus & Plinii verba, quibus *modum* ungenti cadavera apud Romanos (2) describit: *Ungendi voluptas, inquit, apud Romanos inter laudatissima atque etiam honestissima vitæ bona admissa est, honorque is ad defunctos pertinere cæpit.* Qui verò Romæ unguentis ac odoribus mortuorum corpora oblinendi ministerioungebantur, *Pollinctores* vocabantur, cur verò, & unde, inter eruditos nondum convenit. Nec minùs in hoc Judæi cum Ethnicis convene-



venerunt, quippe qui in ipsa  
 Salvatoris nostri sepultura fera-  
 lem hanc unctionem observa-  
 runt. Nam ut Johannes testatur  
 (3) Josepho de Arimathia Nico-  
 demus superveniens, qui mixtu-  
 ram Myrrhæ & Aloën offerebat.  
*Acceperunt igitur ambo corpus*  
*Jesu & ligaverunt illud in lin-*  
*teis cum aromatibus.* Ne verò  
 quis inusitatum hoc existimet,  
 addit Evangelista: Καθὼς ἔθι-  
 ἐσι τοῖς Ἰουδαίοις ἐν ταφιάζειν. *Sicut*  
*mos est Judæis sepelire.* Refert  
 autem Johannes aromata ad un-  
 cturam usurpata ad duas species,  
 ad Myrrham videlicet & Aloën,  
 non quod aliæ species fuerint ex-  
 clusæ, sed ut pretiosiores & in hac  
 mixtura dominantes, indicaren-  
 tur. Condiverunt enim non so-  
 lum Myrrhâ & Aloë, sed etiam  
 cedrò, melle, sale, cera, bitumine  
 & resina, prout Schindlerus (4)

B

docet,



docet. Id saltem adhuc annotandum censui, quod Judæi extrinsecus condituram applicaverint corporibus, eaque tandem fascibus involverint, cum è contrario, uti Herodotus (5) annotavit, Ægyptii exenterato ventre intrinsecus corpora ungere fuerint soliti. Christianos quod attinet, illi itidem hunc morem & multos alios à Judæis acceperunt, ad quod probandum sufficiat provocare ad Tertulliani testimonium, qui de modo ungenti mortuos apud ipsos usitato, ita (6) scribit: *Proinde corpora medicata condimentis sepultura mausoleis & monumentis sequestrantur.* Ex nullo alio autem sine unctionem corporibus adhibitam fuisse putem, quàm ut foedor & putredo à corporibus arceatur, atque debitus honor viris honoratioribus & de



de Republica bene meritis exhibeatur. Mystica, quam nonnulli adducunt, causa, qua unctio symbolum incorruptibilitatis & testificatio fidei de resurrectione corporum habetur, an Christianis quoque semper ante oculos fuerit, de hoc varias afferre sententias merito superfedeo.

- (1) *Epist. ad Lector. in Ath. Libr. XV.* (2) *N. H. Libr. XII. Cap. I.* (3) *Cap. XIX. v. 40.* (4) *In Lexic. Pentagl. in voce שֶׁנֶּאֱמַר.* (5) *In medio Lib. II.* (6) *Apologet. Cap. XLII. Libr. de resurrect. carnis.*

§. IV.

Ad vestitum progredior potius, qui inter ceremonias sepulturam defuncti antecedentes quoque annotari præ ceteris meretur. Indignum enim hisce gentibus visum fuit, corpora defunctorum nuda terræ mandare, imò nonnulli in hoc officio erga demortuos non sunt veriti admodum luxuriari. De



Græcis & quidem in specie de Procli funete Homerus (1) refert, quod in lectum imponentes linteo subtili texerint à capite ad pedes. Et Plutarchus (2) commemorat, quod Lacedæmonii honoratiores ἐν πορφύρῃ ἐν Φοινικίδι, in purpurea sive punicea veste esse confueverint. Sicut & Spartæ cadavera contegebantur (3) veste punicea, oleæ præterea foliis adjectis. Hinc Alexander Sardinus etiam (4) scribit: *Lacedæmones mortuos, qui fortiter aliquid fecissent in re militari, puniceo amictu tegunt, oliuæ foliis circumpositis.* Indis quibusdam occidentalibus in Comagra singularis mos est sepeliendi & vestiendi mortuos suos, ut Petrus Martyr (5) refert: *Reguli, inquit, penetrare ingressi Hispani, cameram reperiunt pensilibus refertam cadaveribus, gossambinis funibus*  
appen-



appensis. Interrogati, quid sibi  
 vellet ista superstitio, parentum  
 esse, avorum, at avorum, Cama-  
 gri Reguli ea cada vera, inquit.  
 De quibus servandis maximam  
 esse apud eos curam, & pro reli-  
 gione, pietatem eam haberi re-  
 censent. Simile his ferè est, quod  
 ὡς ἐν παρωδῶ adducere libet, Or-  
 telius videlicet ceu mirum quid  
 ex Gyraldo Cambr. (6) annota-  
 vit. In Artanicis Insulis homi-  
 num corpora non putrescere,  
 ideoque non humari, sed alio  
 exposita, permanere incorrupta.  
 Sic homines avos, atavos, trita-  
 vos, longamque stirpis suæ fe-  
 rien magna admiratione cogno-  
 scere. Pro cuiusque autem gradu  
 Camagri illi dicti indumenta cui-  
 que cadaveri imponunt auroque  
 & gemmis superintexta, videat-  
 ur. (7) Minimè etiam Romanæ  
 antiquitatis lectores fugiet, quod





gens ista mortuos suos vestibus  
 cuius statui convenientibus vo-  
 lutos sepeliverit. Vestitum Ju-  
 dæorum, quo in sepeliendis de-  
 functis usi fuerunt, Schickardus  
 (8) describit: *Abradunt, inquit,  
 pilos corporis, mox vestiunt invo-  
 lucræ, candido filo lineo consutis,  
 neque pretiosis. Solent sapientes  
 adhibere sudarium, non plus de-  
 nario constans, ne pudefaciant  
 tenuiores, quibus res est angusta  
 domi. Eadem de causa tegunt  
 faciem defuncti, ne prostituantur  
 pauperiores, quibus famelici vul-  
 tus ob alimenti penuriam ple-  
 rumque sunt deformiores. Et Sin-  
 done munda Judæi defunctos in-  
 volvere solebant suos, id enim in  
 ipsius Salvatoris nostri sepultura  
 observatum esse (9) legimus: In-  
 super sudario faciem tegebant, uti  
 (10) clarè patet. Pedes autem &  
 manus colligabant *ne eis*, in-  
 stitis;*



stis; Sic enim de Lazaro Johannes Evangelista (11) commemorat, quod fasciis sepulchralibus & funereis adhuc obstrictus prodierit; Hinc & Salvator noster jubebat, ut solverent eum, & abire sinerent. Quemadmodum autem Christiani etiam in hoc gentes alias secuti fuerunt, & adhuc sequuntur, ita id saltim hic monere volui, observari à scriptoribus, quod veteres Christiani solo linteamine obvolverint suorum cadavera, ut apud Eusebium (12) legimus, inquentem: *Candore nitentia clara pretendere linteamos est.* Testis ejus rei insignis Hieronymus existit, qui de muliere septies percussa ad Innocentium (13) scribit: *Clerici, quibus id officii erat, cruentum linteo cadaver obvolvunt, & fossam humum lapidibus construunt, ex more tumulum parant.* Ex recen-



tiori autem Christianorum praxi apparet, quod viventium more vestibus induerint defunctos, statui cujusvis consentaneis, id quod etiam adhuc hodiernum inter nos observari, singulis constat. Sed hæc etiam de vestitu sufficiant, reliqua nunc prosequar, quæ præmittere placuit tractationi præsentis thematis. Per multas adhuc ceremonias, quæ harum gentium sepulturam antecedunt, imò quæ ipsam concomitantur, & quæ tandem in ipso sepulturæ ritu adhibentur, in medium proferre facillimo negotio possem, ast præcipuas solum modo adducere in rubrica promisi.

- (1) *Iliad.* Σ. de Procli funere. (2) *Νομικ. λᾶκων.* (3) *Lud. Cal. Rhodig. Lect. antiq. Libr. I. VII. Cap. XIX. pag. 976.* (4) *De moribus & ritibus Gent. Lib. I. Cap. XXV.* (5) *De rebus Ocean. Decad. II. Lib. III.* (6) *In Theatro orbis Tab. X. de Hibernia.* (7) *Phil. Camerar. Horar. Subcis. cent. I. Cap. XIV. pag. 87.* (8) *In Jure Regio Hebraorum,*



*braorum, Cap. VI. (9) Job. XIX. v. 40.*  
*(10) Job. Cap. XX. v. 7. (11) Cap. XI.*  
*v. 44. (12) Lib. VII. Cap. XVII. (13)*  
*Epist. XLIX.*

§. V.

His igitur omissis progredior ad ipsum sepulturæ locum. Scythæ, quos Homerus, Pisistratus Xenophon Thebanus aliique in colendis mortuis circa sepulturam maximè studiosos comendant, humabant imprimis suas uxores in agris, inclusas cistis & arcis singularibus fabricatis ex ligno Scythico, quod perennare credebant apud Gvevarram l. c. De Græcis constat, quod extra urbem juxta vias suos mortuos sepeliverint. De Atheniensibus, qui nullum in urbe passi sunt sepulchrum, Cicero (1) scribit: *Lege Solonis prohibitum erat, ne intra urbem sepelirentur.* Quidam tamen Græcorum etiam intra urbem humabant, quod Spar-



tanorum exemplo manifestissimum est. Horum enim Legislator, Lycurgus mortuos in ipsis urbibus & propè aedes Deorum sepeliri voluit, ut Laconica juvenus assvesceret non metuere ac horrere mortis crudelitatem. Ante Lycurgi verò leges apud Lacedæmonios religionis ac pollutionis causa, intra urbem cadavera nunquam fuerunt sepulta. Græcos denique antiquissimos casco illo ævo in ipsis Deorum templis vita functos humasse, multis ostendit (2) Arnobius: *Quid, inquit, quod multa ex his templa, quæ tholis sunt aureis & sublimibus elata fastigiis, auctorum conscriptionibus comprobatur, contegere cineres atque ossa, & functorum esse corporum sepulchras.* Imò in ipso foro aut medio urbis sepulchri monumento donabant, si cui honorem ha-

bitum



bitum irent. Probat hoc Cœpio,  
 Frater Catonis, quem in foro  
 Aëni, quæ Thraciæ urbs est, fune-  
 ratum esse, Plutarchus (3) memi-  
 nit. Romani extra urbem certa  
 habebant loca, in quibus suos  
 vitâ functos terræ mandabant.  
 Duplicis autem generis hæc fuisse  
 loca, Romanarum antiquitatum  
 collectores referunt, publica sci-  
 licet & privata. Publica vel in-  
 opum destinata erant funeribus,  
 ubi servi & vilioris conditionis  
 homines sepeliebantur, diceban-  
 turque puticuli à puteis fossis, vel  
 quod corpora ibi putrescerent;  
 Et talis locus non procul ab urbe  
 Domina erat extra Portam Ex-  
 quilinam, ut Varro (4) testatur.  
 Vel etiam erant ista, in quibus  
 eorum corpora reponebantur,  
 erectis in ipsorum honorem si-  
 mul monumentis, qui præclare  
 de Republ. fuerunt meriti. Viris  
 enini



enim celebribus publicum locum sepulturæ assignabant interdum Romani, tanquam singulare virtutis præmium, idque potissimum in campo Martio, ubi Reges juxta Appianum (s) sepelire mos erat. Adhuc hodie Roma novit ejusmodi sepulchrorum monumenta, Augusti, Augustin nunc dictum, Adriani, ubi castellum S. Angeli (vulgò die Engelsburg,) Marci Aurelii in campo Martio jam laudato, & Scuri in Vaticano. Præterea autem Romani etiam privata habebant loca, quæ quisque in suo horto ac agro sepulturæ assignaverat, ex communi antiquorum more humanitum vitâ defunctos in domibus aut mediis prædiis & villis suis. Qui fundum viæ proximum habebant, in ea potissimum parte sepulchra condebant, quæ viam spectabat, sive ut

iter



iter facientibus innotesceret, sive ut prætereuntes admonerent mortui, & se fuisse & illos esse mortales, ut ruderum & monumentorum Italicorum conspectus haud difficulter docet, juxta concinnè illud positum Epitaphium, quod laudatus Gvevarra loc. cit. Hispanus celebris sui ævi, Episcopus Mondonedensis & Caroli V. concionator aulicus, Capuæ in destructo ferè penitus sepulchro legit: FUI, NON SUM, ESTIS, NON ERITIS. Extruebantur itaque ejusmodi monumenta ac sepulchra ad vias militares seu publicas & quidem celebriores, v. g. Appiam, Lavinianam, Ostiensem, Nomentanam &c. Sic Pomponium Atticum quintò ab urbe lapide juxta viam Appiam sepultum esse, Cornelius Nepos (6) memoriæ prodidit: In via verò Lavicana Didius



dius Julianus Imperator humatus fuit, ut Ælius Spartanus (7) scribit. Monumentum Petri & Pauli in via Ostiensi suo extitisse tempore, Tertullianus (8) confirmat. Via Nomentana Bacchi templum sese sistit, in quo reperitur porphyreticum sepulchrum vitibus ac uvis insculptis exornatum, quod relatione Kornmanni (9) vulgus Bacchi sepulchrum appellare solet. Ad privata autem loca humanis corporibus destinata referre etiam possumus, quod in ipsa urbe quasdam personas sepelire permissum fuerit. Cicero (10) mentionem hujus facit, existimatque viros solutos legibus virtutis causa id consecutos fuisse. Huc pertinent ea, quæ de Trajano Imperatore Eutropius (11) tradit, quod intra urbem in foro sepultus fuerit. Sic & Vestales in urbe sua habuerunt sepulchra, quia nullis

zurb

nullis



nullis legibus adstricti fuerunt, ut  
 Servius pluribus (12) testatur. A  
 gentilibus autem more consueto  
 me converto ad Judæos. Ex hi-  
 storia S. satis superque notum,  
 quod à Judæis cadavera mortuo-  
 rum extra civitatem in locis à vi-  
 ventium habitaculis planè remo-  
 tis condita fuerint. Sic enim de  
 filio viduæ Nainitanæ apud Lu-  
 cam (13) legitur, quod porta fue-  
 rit elatus, numerofo populo fu-  
 nus comitante. Et Matthæus (14)  
 annotavit, quod è regione Ger-  
 gesenorum Salvatori nostro duo  
 dæmoniaci occurrerint, è monu-  
 mentis prodeuntes, in quibus do-  
 micilium habebant, sævi valde,  
 adeò, ut nequiret quispiam præ-  
 terire per viam illam. Quamvis  
 autem multi existiment, Vallem  
 Cedron commune totius civita-  
 tis Hierosolymæ Coemiterium  
 fuisse, ubi vulgus & ignobiles  
 omnes



omnes sepulti fuerint, quam sententiam etiam Cornelius à Lapide (15) amplectitur, inquit: *Commune Judaeorum sepulchrum erat in Valle Cedron, in ea parte, quæ Gehenna seu Tophet appellatur, indeque hæc vallis dicta est* (16) *Cadaverum cineres Calvaria & regio mortis.* Peculiarem tamen hospites & peregrinos ad sepulturam nactos fuisse agrum, Matthæus (17) commemorat. Præterea etiam evincere possumus, quod in agris quandoque, sæpè etiam in montibus, collibus, vineis & hortis Judæi sua habuerint sepulchra. Sic enim de Josia (18) legitur, quod reversus viderit sepulchra, quæ erant in montibus. Et sepulchrum istud, quod Josephus sibi excindendum curaverat, in quo sanctissimum Salvatoris nostri corpus repositum fuit, in horto erat. Monumenta  
autem



autem honoratiorum habebant formam speluncarum excisarum, in quibus singulis octo aut tredecim foramina cavari solebant, ut essent totidem corporum conditoria, quam in rem Casaubonus (19) videri potest. Si porrò placeat Scripturam V. T. evolvere, exempla quoque inveniemus eorum, qui intra urbem tumulati fuerunt; Ramath, urbs in monte Sophim sita, natale solum, domicilium pariter ac sepulchrum Samueli (20) præbuit. Sic & Manasse in horto domui Regiæ (21) contiguo sepultus fuit. David, Regum Vatumq; sacrorum maximus, in arce Sion, quam de suo nomine civitatem David appellavit (22), sepultus fuit. Cujus monumentum adhuc post Christi ascensionem ostensum fuit Hierosolymis juxta Acta Apostolorum (23), ad cujus ossa etiam alii

C

Reges





Reges Judaici sequenti tempore fuerunt repositi, quod nemini, Scripturas V.T. legenti, ignotum erit. Ad Christianos ut progrediar, ordinis ratio postulat. Hi communem vulgò humanis defunctorum corporibus possident locum, quem cœmeterium appellare solent, quâ voce fidei & pietatis plena resurrectionis spem testificantur, declarantque omnipotentiam DEI, qui tanta facilitate potest mortuos ad vitam revocare, quantâ quilibet nostrum hominem dormientem excitare potest. Cœmeterium enim à dormitione nomen accepit, quasi dicas dormitorium, quod corpora fidelium ibi requiescant in sepulchris tanquam in lectulis atque cubilibus suis, non mortua, sed somno data. Mors Christianorum dormitio, somnus est ac quies, de qua tandem



dem in lætissima illa resurrectionis die excitationem sperant & certo expectant. Nec ista denominatio sua laude caret, qua Cœmeterium Germani efferunt per *Gottes-Acker*, in quo Deus suam habet sementem ac segetem, quã in consummatione seculi ac illustri Salvatoris nostri adventu, tanquam tempore messis jam maturam demetet, & in cœleste horreum colliget, Zizaniã verò in ignem inextinguibilem mittet. In primitiva autem Ecclesia specus erant subterraneæ, quales Romæ præsertim fuisse, Hieronymus (24) meminit, quando ita scribit: *Dum Romæ puer essem, & liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis & propositi diebus Dominicis sepulchra Apostolorum & Martyrum circumire, crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profundo*



fundo fossæ, ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepulcorum, & ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud Propheticum compleatur: Descendant in infernum viventes; Et rarò desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram, quam foramen demissi luminis putes. Insuper etiam Specus istæ vivis latebras & perfugia grassante persecutione præbebant. Claris verbis hoc indicat Chrysostomus (25) ad populum iniquiens: Hi quidem in monumentis & sepulchris, hi verò in desertis latitabant; Mulieres tenebræ & delicata continua fame detinebantur. Itaque considera, si qui tunc pretiosi sumptus, si qua deliciarum erat delectatio, subitque concupiscentia nunquam mulierem in sepulchro latentem

§



Et expectantem ancillulam, ut  
 veniat prandium afferens, Et ne  
 forte deprehensa sit trepidantem  
 Et in timore tanquam in fornace  
 jacentem. Idem Baronius (26)  
 docet, cœmeteriorum usus, inquit,  
 non modo inserviebat humanis  
 defunctorum corporibus, ex quo  
 Et nomen est inditum, sed Et per-  
 secutionis tempore ad latebras  
 Christianorum. In his cryptis  
 effosis Christiani, quod proprio  
 libello de Cœmeteriis Onuphrius  
 (27) refert, tempore persecutionis  
 actiones synodosque habebant  
 suas, & Sacramenta administra-  
 bant. A tempore verò Constanti-  
 ni M. Christiani passim intra  
 urbes sua templa habere cœpe-  
 runt, & juxta ea spatia quædam  
 mortuis sepeliendis destinarunt,  
 imò prisca martyrum dormito-  
 ria Ecclesiis publicis, aut ad mini-  
 mum facellis decorarunt. Extra



Portas etiam sequenti tempore  
 nova condiderunt cœmeteria,  
 quibus interdum templum, in-  
 terdum nullum adjunctum erat.  
 Abunde sic, quæ ad communem  
 sepulturæ locum spectant, allatis.  
 Rarus adhu csuperest locus, de  
 quo pauca addam. Erat autem  
 is in templis. Rarum omninò dixi  
 hunc sepulchrorum locum Mul-  
 tos enim Græcos, Romanos, Per-  
 sas, Medos, Ebræos ac priscorum  
 Teutonum Duces & Principes le-  
 gimus extruxisse & exornasse  
 templa, tantum verò abest, ut in  
 illis condi se mandassent, ut po-  
 tius in agris tumulari voluerint,  
 soli Deo dicatis templis. Factum  
 inde est, ut pia antiquitas ante  
 tempora Constantini M. sepul-  
 chralia monumenta in templis  
 planè ignoraverit, ac demum  
 post eadem mos ille invaluerit,  
 non æque ex devoto zelo, quod  
 suspi-



susplicatum, ac potius auri cupida  
 allectione Cleri, & privato Mona-  
 steriorum usu. Augustinus, Hip-  
 ponensis Præsul, jam ante sua tem-  
 pora, usum sepeliendorum mor-  
 tuorum in templis & propè Mar-  
 tyrum monumenta fuisse (28) do-  
 cet, & quanquam non adeò fre-  
 quenter ipsis templis cineres at-  
 que ossa defunctorum suorum in-  
 ferebant, personæ tamen Sacer-  
 dotales & Reges intra templo-  
 rum parietes recipiebantur, qui  
 mos etiam nostris temporibus,  
 personis nimirum honoratori-  
 bus, observatur.

- (1) *Libr. II. de LL.* (2) *Libr. VI. adversus  
 gent.* (3) *In Caton. Uticens.* (4) *Lib.  
 IV. de ling. latina.* (5) *Libr. I. ἐμφουλ.  
 de Sylla ibi sepulto.* (6) *In vita ejus.* (7)  
*In vita ejus.* (8) *In Apologet.* (9) *Libr.  
 de Mirac. Mortuor. Part. II. Cap. C XV.*  
 (10) *Lib. II. de Legib.* (11) *Libr. VIII.*  
 (12) *Lib. XI. Æneidos.* (13) *Cap. VII.*  
*v. 12.* (14) *Cap. VIII. v. 28.* (15) *Com-  
 ment. in Jer. cap. XIX. v. 6.* (16) *Jerem.*  
*XXXI. v. 40.* (17) *Cap. XXVII. v. 7.* (18)



2. Reg. XXIII. v. 16. (19) Exer. XVI.  
 (20) 1. Sam. I. (21) 2. Reg. XXI. v. 18.  
 (22) 1. Reg. II. v. 10. (23) Cap. II. v. 29.  
 (24) Cap. XL. Ezech. (25) Hom. XL.  
 (26) Tom. II. Annal. ad annum CXXX.  
 (27) Cap. XI. (28) Libr. de cura pro  
 Mort. Cap. IV.

§. VI.

Inextruendis hisce sepulchris, tam apud Ethnicos, quam Judæos & Christianos sæpè luxus & ostentatio conspiciebatur. Ethnici multis superstitionibus dediti, primi videntur fuisse, qui sumptuosa funera facere, ac amplanimis sepulchra erigere consueverunt. Inter quos palmam certe dubiam reddidere Ægyptiorum Pharaones cum suis Pyramidibus, & quod præ cæteris apud autores celebre est, regium illud castrum doloris Osymandix, de quo Herodotus, Diodorus, Strabo, Plinius multis agunt, citati apud Erasm. Francisci [ I ].  
 Genti-



Gentiles enim firmiter credebant, defunctorum animas, si honore sepulchri carerent insigni, stygiam paludem tranare non posse. Hinc monumenta subterranea, concamerata, pavimento istrata ac parietibus circumseptâ, in quâ per gradus aliquot descendendum fuit, ædificarunt. In parietibus per ambitum loculi fuere dispositi, in quibus urnæ locarentur, in his sepulchris habitabant pulverei ac cinerosi mortui, tanquam in domiciliis, id quod plenius apud Marlianum [2] videri potest. In monumentis istis columnas & statuas pretiosas erexerunt Græci pariter ac Romani, quod notum satis est ex historia veterum & in quo prolixior quoque est Erasmus Francisci loc. cit. pag. 410. seq. Imò domunculas atque ædificia superponere sepulchris, apud ipsos solenne fuisse,



vetus inscriptio clarè docet: M.  
 AURELIUS. ROMANUS. ET.  
 ANTISTA. CHRESIME. UXOR.  
 EJUS. FECERUNT. SIBI. LI-  
 BERTIS. SUIS. POSTERISQVE.  
 EORUM. MONUMENTUM.  
 CUM. ÆDIFICIO. SUPERIM-  
 POSITO. Nec infrequens fuit  
 apud ipsos circumvallare veluti  
 ac munire defunctorum tumulos  
 sepimentis, vel filice, vel saxis.  
 Sic monumentum Neronis, refe-  
 rente Svetonio (3) lapide Thasio  
 circumseptum fuit. Hunc verò  
 sepulchrorum luxum Lycurgus,  
 summus Græcorum Legislato-  
 r meritò (4) sustulit. Ac itidem  
 Solonis prohibuerunt leges, do-  
 centes: ne sepulchrum facerent  
 operosius, quam quod decem ho-  
 mines efficerent triduo. Neque  
 id opere tectorio exornari, nec  
 Hermas, quas vocant, licebat im-  
 ponere, prout hoc Cicero ex De-  
 metriò



metrio Phalereo (5) refert. Apud  
 Judæos potentiorum sepulchra  
 non erant in terra defossa, ut no-  
 stra ætate plurima, sed permultis  
 impensis in spelunca ex lapide  
 cavato. Hoc ipsum spelunca,  
 quam ab Ephrone Abraham  
 emit (6) in sepulchri possessio-  
 nem, & Christi, mundi Salvato-  
 ris sepulchrum, quod sibi Joseph  
 non sine vili opera ac pretio ad  
 Judæorum consuetudinem exca-  
 vaverat in saxo, dilucidè pro-  
 bant. Eorum corpora humata,  
 nunquam thecis erant inclusa, sed  
 potius linteis solummodò invo-  
 luta, in loculis exposita, ut & vide-  
 ri & tangi ab ingredientibus faci-  
 le possent. Ex quo apertè intelli-  
 gimus, quomodo cadaver ejus, qui  
 à latronibus est occisus, tangere  
 potuerit (7) ossa Prophetæ Elisæi.  
 Hieronymus de ipsis dicit, moris  
 fuisse apud eos, sumptuosè sepeli-  
 re,



re, præsertim nobiles, cujus rei luculentum testimonium præbet sepultura Herodis, de qua Josephus (8) commemorat, feretrum totum auro & gemmis fuisse circumpositum, corpus purpureo vestitu amictum, & caput regia corona cinctum. Pineda (9) refert, tantum olim excrevisse Judæorum funerum impensam ac sepulchrorum luxum, ut interdum ejus magnitudine deterriti cognati & propinqui, relicto cadavere, se aliquandiu subducerent. Hæc verò consuetudo, pretiosa nimirum erigere sepulchra, communitententiæ Hebræorum Doctorum repugnare videtur, provoco hoc loco duntaxat ad verba Magistri celebris apud Ebræos, Maimonidis (10), quæ Latino idiomate donata adscribam, quantum ad meum institutum faciunt: *Docendi, inquit, sunt homines, ne sint*



*sint dissipatores, vel advescant  
intempestivis perditionibus.* Prae-  
stat enim ea dare pauperibus,  
quam sic inutiliter vermibus ob-  
jicere. Inter Christianos quoque  
sepulchrorum luxus obtinuit lo-  
cum. Eorum sepulchris enim  
sæpè cruces non exigui pretii  
fuisse impositas, Gretserus (11)  
permultis probat documentis.  
Hinc Kennethus, Scotorum Rex,  
sepulchrum omne sacrum habe-  
ri, idque crucis signo adornari,  
observante Boëthio (12) jussit.  
Martyrum verò reconditoriis  
splendida altaria, in quibus sacris  
mysteriis fruebantur, superædi-  
ficare, in more habebant Chri-  
stiani veteres, confirmo. id testi-  
monio Prudentii, ita (13) canentis:

*Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,  
Propter ubi apposita est ara dicata Deo.  
Illa Sacramenti donatrix mensa eademque  
Custos fida sui Martyris apposita.  
Servat ad aeterni opem Judicis ossa sepulchro,  
Pascit item sanctis Tybricolae dapibus.*

His



His martyrum sepulchris & altaribus adhuc superædificabantur, juxta Cornelii à Lapide annotationem (14), templa pretiosa, quæ dicebantur Martyria. Tandem diversitas monumentorum luxum apud Christianos clare testatur. Alia enim fuerunt marmorea, alia ænea. Sic tumulos Pontificum Martini V. in S. Johanne Laterano, & Sixti IV. in S. Petro Vaticano, æneos, Piorum, II. & III. Hadriani VI. marmoreos esse, Georgius Fabricius (15) dicit. Quem verò luxum in sepeliendis demortuis vehementer detestati semper fuerunt Sancti Patres, quorum ipsissima verba capite secundo §. VIII. de hoc argumento allata invenies. Sed pedem hic figo in iis, quæ generatim de funeribus ad propositum meum digna erant notatu. Plura de variis variarum gentium sepeliendi ritibus



bus scire volens Authores hoc  
thema ex affe pertractantes, quo-  
rum permultos infrà notavi (16),  
adeat.

(1) *In Acerra Exoticorum pap. 388. seqq.* (2)

*Lib. IV. Topograph. urbis Romæ, Cap. XIX.*

(3) *In Nerone.* (4) *Plutarchus in Lycurgo*

*& Lacon.* (5) *Libr. II. de legibus.* (6)

*Genes. XXIII.* (7) *2. Reg. XIII. vers. 21.*

(8) *Libr. I. de Bello Judaico, Cap. ultimo.*

(9) *In Jobi cap. III. vers. 15.* (10) *Ex H.*

*Ezech. Cap. XIV.* (11) *Tom. I. de S. Cruce.*

*Libr. I. Cap. XV.* (12) *Libr. X. Histor.*

*Scotica.* (13) *In triumpho Hippolyti.* (14)

*Comment. XI. Cap. Esaiæ.* (15) *In Roma*

*sua, Cap. XXI.* (16) *Sic de prisco sepe-*

*liendi ritu scripserunt in genere Lilius Gre-*

*gorius Gyraldus de vario sepeliendi ritu. Ja-*

*cobus Gutherius, Franciscus Bentius, Erasmus*

*Francisci, in der Ehre derer Verblichenen.*

*Quenstedius de sepultura veterum. De fu-*

*neribus Hebraorum Johann. Hieronymus So-*

*pranes Jesuita, de ritibus Hebraorum Mar-*

*tinus Geierus, de Luctu Hebraorum Hottin-*

*gerus, cum versione Latina edidit Heidel-*

*bergæ Anno 1659. Librum sub titulo cippo-*

*rum Hebraicorum, quem Rabbi Judaicus*

*nomine Uriben Simeon scripsit. Buxtorffius*

*Synag. Jud. Cap. XLIX. pag. 699. seqq. De*

*funeribus Romanorum Johannes Kirch-*

*mannus. De Sepultura Christianorum Onu-*

*pbrius*



phrius Parvinius. De ritibus, apud nos usitatis Chytraeus, Libro de Vita & Morte, p. 106. De Mumiiis Andr. Gryphius, Tract. de Mumiiis Uratislaviensibus, atque Kettnerus Disputat. de Mumiiis Ægyptiacis & simul de egregia Lipsiensi in Bibliotheca Amplissimi Senatus, hab. Lips. 1694. d. 9 Junii. De funere medicato Petrus Bellonius, Melchior Sebitzius atque Gabriel Clauderus, Tract. de metodo balsamandi corpora humana aliisque majora sine evisceratione. Qui postremus peculiari capite l. c. Cap. III. pag. 23. seqq. omnes ferme ritus in compendio quasi recenset. Quibus addi possunt Libelli Geographici, v. g. Dapper in Descriptione America, pag. 151. atque Hodæporici, v. g. de ritu Persarum, Adami Olearii Moscovitische und Persianische Reise-Beschreibung, Libr. V. cap. IV. pag. 686. De Japanensium ritu Arnoldi Montani denkwürdige Gesandtschaft nach Japan, pag. 4. 25. it. pag. 119. De exequiarum ritibus apud Armen. vid. Tavernier pag. 95. it. pag. 198. ut & Ceremonies Funebres de Toutes les Nations, Par le Sr. Muret, a Paris, M DC LXXIX.

§. VII.

Proprius itaque themati meo accedens, illudque paulò accuratius investigans, observo, preciosis suis sepulchrorum monumentis



mentis gentes minimè contentas  
 fuisse, sed ipsam etiam pecuniam  
 in sepulchra propè corpora se-  
 pulta apposuisse. Quamvis au-  
 tem pecunia & quidquid divitia-  
 rum nomine censetur, res fluxa  
 pariter ac instabilis sit, adeò ut  
 sæpius experiamur, quod hæ  
 opes, dum vivimus, variis fortu-  
 næ casibus interceptæ, nos sæpe  
 deserant, & quod à nobis certò  
 deserantur, quando ex hac vita di-  
 scedimus. Quam plurima ta-  
 men sunt exempla Ethnicorum,  
 qui cum defunctis auri argenti-  
 que vim, nisi res angusta domi, id  
 ipsum vetare videatur, sepelire  
 non verentur. Sic enim Albanis  
 juxta Strabonem (1) pecuniam  
 cum mortuis sepelire in loculis  
 mos patrius fuit, hinc non mira-  
 beris, pecuniam cum mortuis ab-  
 sumptam & terreno domicilio  
 reclusam, pauperes fere, in per-  
 D petu-



petuum constituisse hæredes. Idem de Macedonum Persarumque Regum sepulchris est habendum, siquidem Curtius de iisdem (2) ita loquitur: quod adjectæ pecuniæ haud quaquam obliviscatur. De Tunqvinensibus Regibus Dn. Tavernier (3) refert, Regem mortuum ad sepulturam efferendam sequi bina carpenta, in quibus octo nobiliores equi vehunt magnam auri argentique summam, quæ cum Rege simul terræ mandatur, in usum defuncti, ut ipsis est persuasum, cum in altero mundo fortè opus istis fuerit. Eundem morem sepeliendi mortuos cum auro & argento olim apud Romanos fuisse vetitum, apparet ex Ulpiani (4) responso: *Non oportet ornamentacum corporibus condere, nec quicquam huiusmodi, quod homines simpliciores faciunt.* Minimè tamen  
legi



legi huic se adstringi passi fuerunt. Nam apud Historicos monumenta Romanorum auri argentiqueve luxu conspicua passim deprædicantur, ex quibus referre præ cæteris placet, quod filiabus celeberrimi Romani Stiliconis, Imperatori Honorio desponsatis, exstructum fuit, quo aperto pretiosissim<sup>9</sup> reperiatur thesaurus, de quo Meyerum (5) confer. Huc etiam facere arbitror, quod Herodotus (6) de sepulchro Regi-  
 næ Nitocris cōmemorat, vix enim verbis exprimere potest, quanta magnificentia, quæ simul in magna pecuniæ summa consistebat, illud exornatum fuerit. Sola Phæ-  
 dri, Augusti Liberti, fabula de cane humanis ossibus thesaurum effo-  
 diente, hunc morem inter Roma-  
 nos obtinuisse arguit. Idem con-  
 firmat Bebelius (7) qui refert, quod  
 in militis cujusdam Romani se-  
 pul-





pulchro Anno 1663. d. 2. Septembr.  
 Argentorati aperto varii generis  
 nummos inventos esse. Pertinent  
 huc quoque ea, quæ Dominus  
 Francisci de Ethnicorum sepul-  
 chris in montis Beuschezæ cacu-  
 mine extractis, & castellorum rui-  
 nis ad ejus radices conspicuis (8)  
 narrat, quod scilicet sumptuosus  
 aquæ ductus Epitaphia, variique  
 generis nummi inter Ethnicos  
 quondam usitati, non procul ab  
 iisdem fuerint inventi. Memo-  
 ratu autem imprimis dignum est,  
 quod circa annum 1679. dum ad  
 urbis Castuæ latus, quod orienti  
 Soli opponitur, foveam parare  
 incolæ intenderint, tunc enim se-  
 pulchrum inveniebant, in quo  
 varii generis arma, argentei, au-  
 rei, cuprei & ænei Ethnicorum  
 nummi, apparatus eorum, frena  
 argento obducta, & lampades  
 perpetuæ reconditæ erant.

His



His addam Antinoi nummum,  
 qui in Morea prope Corinthum  
 à militibus commilitonem hu-  
 mantibus effossus, & à Præfecto  
 inde reduce, illustrissimo Princi-  
 pi Gvelfherbytano, Antonio  
 Ulrico donatus est, hodieqve in  
 Gerhardi Wolteri Nolani, Abba-  
 tis Loccensis, pretiosissimo Ci-  
 meliarchio præbetur conspici-  
 endus. Cujus descriptionem  
 Eggelingius (9) exhibet. Sic in  
 antiquo monumento Anno 1662.  
 Viennæ duæ cupreæ inveniaban-  
 tur monetæ, utraqve ab Antonio  
 Caracalla impressæ. Et quis est  
 inter nos, cui non constet, Lipsiæ  
 hic, cum ad D. Nicolai Sacelli fun-  
 damenta jacerentur, urnam num-  
 mis bracteatis repletam fuisse in-  
 ventam. Ethnici enim collecta  
 ossa & cineres vino, lacte, odori-  
 bus, imò etiam lacrymis persper-  
 sa & irrigata & linteo ventilata

D 3

cascaz



capulis pro cuiusque facultate pretiosis includebant, quæ Græcis ὄσοθῆνας, Latinis verò urnæ dicebantur, & monumento inferebant. Ejusmodi urnam Naulis atque Danacis repletam Ao. MDCC IX. duo invenerunt milites laboriosi Rendesburgenses, & quidem non procul à Porta Holsteinenſi, quæ numismata deinceps quoad originem, figuram, valorem atque inscriptionem eleganter ex historia veteri Dominus M. Lehmannus, Pastor meritisſimus & Conſiſtorii Rendesburgenſis Aſſeſſor ſpectatiſſimus, ad multorum deſiderium prolixius deſcribere (20) non recuſavit. Imò nuperrimè ſalim ex Sileſia nobis relatum eſt, quod hortulani ad radices montis, quem vocant Töppelberg, more ſolitò fodientes, attigerint monumentum ſepulchrale Ethnicum,  
in



in quo ingentem urnam repere-  
 runt, quam non nisi frustratim  
 extrahere potuerunt. In illa au-  
 tem præter duas urnas minores,  
 duo dentes inusitatae planè ma-  
 gnitudinis, nec non pars maxil-  
 læ cujusdam reperiiebantur, Gi-  
 gantum dentes esse, plurimi vo-  
 lunt. Præterea etiam nonnulla  
 Thuribula & quædam Numisma-  
 ta Romana, in iis urnis offende-  
 bantur, quæ in regionibus istis  
 nunquam in detectis ejusmodi  
 urnis inventa fuerunt. Non so-  
 lum autem Gentilibus, sed & Ju-  
 dæis mos iste fuit familiaris, de-  
 functis tumulo inferendis adpo-  
 nere pecuniam. Regum cada-  
 vera cum auro, argento, vesti-  
 bus, armis, coronis, Prophetarum  
 verò cum vestibus & vasis pretio-  
 sis tantum sepelienda curasse, Hie-  
 ronymus (12) annotavit. Et quan-  
 quam consuetudo hæc rationi &

D 4

com-



communi sententiæ Ebræorum  
 Doctorum repugnare videretur.  
*Præcipiunt enim*, inquit (13)  
 Schickardus, *sapientes Ebrai ca-*  
*vere, ne quid facile una defodia-*  
*tur, quod aut pretiosum sit aut*  
*honestum, utiliusque possit eroga-*  
*ri*; Nihilominus tamen de ipso  
 Salomone, Regum aliàs sapien-  
 tissimo, observatum (14) accepi-  
 mus, quod sepulchro paterno  
 magnos auri thesauros inferre  
 non abstinuerit. Si Josepho fides  
 est habenda (15), Hyrcanus, Hie-  
 rosolyma obsidione pressa per  
 Antiochum, Davidis hoc sepul-  
 chrum dicitur aperuisse, sum-  
 mam ter mille talenta exceden-  
 tem inde eripuisse, ac trecenta ta-  
 lenta Antiocho exsolvisse, ut urbe  
 abscedat. Ut taceam, quæ de  
 eodem sepulchro habet Rabbi  
 Benjamin Tudelensis (16), fuisse  
 ibidem mensam ex solido & per-  
 den-



denso auro confectam in qua re-  
 positum conspiciebatur sceptrū  
 aureum, una cum corona aurea.  
 Circa quam relationem tamen  
 varia hinc inde autores notant.  
 (17) Vestigiis Ethnicorum, ut &  
 Judæorum institerunt quoque  
 Christiani, inter quos etiam irre-  
 pere cœpit mos, cum mortuis pe-  
 cuniam sepeliendi. Fecit hoc  
 Monachorum ille ordo, qui re-  
 ferente B. Hieronymo (18) de re-  
 lictis divitiis cujusdam confratris  
 ridiculum hoc, præunte Macario  
 & aliis, capiebant consilium, in-  
 fodeindas esse cum ipso, dicentes  
*Pecunia tua tecum sit in perdi-  
 tionem.* Et huc pertinere censeo  
 exemplum, quod habet Theobal-  
 dus Aquilberdus (19) de usurario  
 quodam in civitate Metensi, ava-  
 ro valdè, ejus enim sepulchro  
 magna pecuniæ summa fuit re-  
 perta. Hic morti vicinus ami-

D 5

cos



cos suos juramento adstrinxit, ut  
 crumenam denariis plenam se-  
 cum in sepulchro reponi cura-  
 rent, quod ex voto quidem factū,  
 postea verò rursus apertum fuit  
 ab iisdem sepulchrum, ut pecu-  
 niam reciperent, viderunt autem  
 Dæmonem eam magno cochlea-  
 ri ardenti defuncto pecuniam  
 ignitam infundentem. Id quod  
 verò fabulæ quam veræ historiæ  
 similius esse, quilibet cordatior  
 haud dubiè existimat. Neque ta-  
 men assertum meum huic fabulæ  
 superstruere volo. Dantur enim  
 exempla extra omne dubium po-  
 sita, quæ clare satis testantur, quod  
 Christiani etiam ingentem pecu-  
 niæ summam in sepulchra depo-  
 ni curaverint, sed meritò ea alle-  
 gare supersedeo, quia meum pro-  
 positum non est, ex professo de  
 pecunia in sepulchris reperta dis-  
 ferere, sed speciatim modò de  
 Num-



Nummis in ore defunctorū reper-  
tis; Hinc conferam me potius ad  
id, quod instituti mei thematisq;  
ratio omninò postulat, & able-  
gabo interim B. L. ad Gretserum  
(20) quide hoc argumento evolvi  
præ cæteris meretur.

- (1) Libr. XII p. 342. (2) Lib. X. cap. III. (3)  
Joh. Baptista Tavernier, in Beschreibung  
des Königreichs Tunquin. cap. XV. p. 95.  
(4) In L. XIV. §. 5. ff. de relig. & sumpt.  
funer. (5) Nucl. Hist. Libr. II. cap. III. p.  
113. (6) Libr. I. cap. CLXXXVII. (7)  
Antiqv. Argentorat. p. 21. (8) In Annal.  
Carniolens. Lib. IV. cap. XXII. (9) In  
Epist. de orbe stagnæo Antinoi edita  
MDCXCI. (10) In Tractatu, quem vocat  
eifertiges Bedencken über einigen neulich  
gefundenen Rendesburgischen Naulis oder  
Danacis, das ist, von denjenigen Gelde, so  
die vormahlig Einbrisch Holsteinische Ein-  
wohner ihren Verstorbenen, als einen ge-  
wissen Reife- oder Zehr-Pfenning mit auf  
den Weg gegeben. (11) die XVII. Anno  
MDCXIX, in Novell. ord. Lips. (12)  
Lib. V. comment. in Jerem. (13) In Jure  
Regio Hebræorum. Cap. VI. (14) Agri-  
chomius in Theatro Terræ Sanctæ num.  
XXII. fol. 152. Qvaresmius in sua Elucida-  
tione Lib. IV. Peregrin. VI, & IIX. Joh.  
Bapti-



Baptista Villalpandus Tom. II. in Ezechiel. Lib. V. Disq. IV. cap. LXI. Pineda L. VIII. de rebus Salomonis. c. III. (15) Josephus Lib. I. de bello ludacio Cap. II. fol. 711. (16) Itinerario, p. 15. (17) Constant. l'Empereur. in notis ad Benjamin p. 175. B. Geierus de luctu Ebraeorum, cap. 6. §. 9. Hottinger in Cippis Hebraic. p. 25. (18) Epist. ad Eustoch. de Custod. Virg. Tom. I. p. 67. edit. Basil. MDXVI. (19) Menf. Philosoph. Tract. IV. Tit. de Usurariis. (20) Lib. I. de funere Christ; cap. VI.

§. VIII.

Sub humeris præsertim & genubus defunctorum thesaurum deponere veterum, observante Stephano (1) cura fuit, quam observationem Grettis Saga confirmat, de Grettero tumulum Kari animose intrante, tractans: *Sub pedibus terricola arculam invenit argento repletam.* Ideo autem id factum conjecturat Stephanus, quo tutior esset thesaurus à malis harpygarum manibus. Ast non sub humeris & genubus defunctorum solùm, sed in ore quoque



que pecunia, quamvis non copia ingenti, tamen una alterave specie fuit reperta. Ethnicorum hunc morem observantiū exempla Thomafius (2) refert, ubi ex sententia Lambecii commemorat, hunc ritum à Græcis & Romanis etiam ad antiquos Pannonios transmigrasse. Quibus ea congruunt, quæ de hoc argumento apud Lucianum (3) extant. Apud Rusticanos, uti Neander (4) adducit, in funeribus hic servatur ritus: Defunctorum cadavera vestibus & calceis induuntur, & erecta locantur super sellam, cui assidentes illorum propinqui perpotant ac helluantur: Epota cerevisia, fit lamentatio funebris; quæ in lingua Rutenica sic sonat: Ha le le, le le, y protz ty mene umarl? y za ty nie miel szto yesty, albo pity? y protz ty umarl? Ha le le, le le yza ty nie, miel



miel krafs ye mlodzice? y protz  
 ty umarl? Id est: *Hei hei mihi!*  
*Quare mortuus es? Num tibi*  
*deerat esca aut potus? quare er-*  
*go mortuus es? Hei hei mihi! An*  
*non habuisti formosam conjugē?*  
*quare ergo mortuus es? &c.* Hoc  
 modo lamentantes enumerant  
 ordine omnia externa illius bo-  
 na, cujus mortem deplorant;  
 nempeliberos, oves, boves, eqvos,  
 anseres, gallinas &c. Ad quæ sin-  
 gula respondentes occinunt hanc  
 Næniam: Cur ergo mortuus es,  
 qui hæc habebas? Post lamenta-  
 tionem dant cadaveri munuscu-  
 la, nempe mulieri fila cum acu:  
 viro linteolum, idque ejus collo  
 implicatur. Cum ad sepulturam  
 effertur cadaver, plerique in e-  
 quis funus prosequuntur, & cur-  
 rum obeqvitant, quo cadaver ve-  
 hitur: eductisque gladiis verbe-  
 rant aures yociferantes: Geu geu-  
 the,



the, be gaythe pecnelle, i. e. *aufu-  
gite vos demones in infernum.*

Qui funus mortuo faciunt, num-  
mos projiciunt in sepulchrum  
tanquam viatico mortuos profe-  
quentes, collocant quoque pa-  
nem & lagenam cerevisiæ plenā  
ad caput cadaveris in sepulchrū  
illati, ne anima vel sitiatur vel esur-  
riat. Uxor mane & vesperi, ori-  
ente & occidente sole super extin-  
cti conjugis sepulchro sedens vel  
jacens lamentatur diebus trigin-  
ta &c. De Vallachis, quos meri-  
tò Ethnicis annumeramus, quia  
ipforum Religio non divīna re-  
velatione, sed vanis corruptæ ra-  
tionis positionibus nititur, nu-  
perrimè relatum legi (s) quod  
mortuos suos modo valde la-  
mentabili terræ mandare, & inter  
alias consuetudines, quas cum cæ-  
teris gentibus communes habent,  
hanc quoque observare soleant,  
quod



quod vita functis aliquam pecu-  
 niæ speciem, quam viaticum ap-  
 pellant, in os immittant. In fau-  
 cibus Mumiaë Wratilaviensis  
 repertum inter ungenta com-  
 plicatum purissimo ex auro foli-  
 um, crenis insigne ac mirandæ  
 tenuitatis, utque pondo excegerint  
 curiosi examinatores, non nisi  
 decem, ut vocant, granorum illu-  
 stre quondam Silesiæ decus, An-  
 dreas Gryphius (6) memoriæ  
 prodidit, sed pro naulo nemini  
 obtrufit. Argenteum nummum  
 prope Neostadium minorem in  
 cranio humano repertum posse-  
 dit Bartholinus (7) quem pro nau-  
 lo Charontis interpretatur cele-  
 berrimus & in antiqvitatibus  
 versatissimus Tenzelius (8). Su-  
 perstitionem hanc Judæi, gens  
 admodum superstitiosa, sectati  
 sunt, siquidem Kornmannus (9)  
 narrat, quod in capitibus corpo-  
 rum



rum jam ante aliquot secula humanorum, aurei nummi reperti fuerint, quos sepeliendis suis in ora inseruissent. Ad recentiores tamen Judæos illud non immerito eam ob causam referendum, quod nullus veterū Scriptorum, qui Hebræorum ritus sollicitè examinarunt, hujus rei vel minimam facit mentionem, posteriores autem Judæi ex Gentilismo cum variis aliis hoc quoque ad mores suos transfulerunt. Sed quod hactenus de gentilium pariter ac Judæorum consuetudine absurda narravi, id quoque inter Christianos in usu fuisse, & adhuc à nonnullis superstitioni deditis observari, non sine admiratione deprehenditur. Sic enim supra laudatus Tenzelius (10) memorat, effossum cranium ipsi ante paucos annos ostensum fuisse, in quo inventi fuereduo bractea:

E  
ti,



ti, quibus in signe Landsbergicum literis consuetis LAND. impressum fuit, & procul dubio bractea-  
 ti isti, in os defuncti, cum sepeliendus esset, immissi fuerunt. Et hodie exempla hujus rei passim extant. Eruti nuper in cœmeterio Palæo-Dresdensi tres nummi in oribus defunctorum latitantes, quorum unus grossum Bohemicum, alter ternarium Brandenburgicum, & tertius monetam Saxoniam non adeo vetustam, nummum scilicet Saxoniam referebat. His ipsissima verba, Domini M. Joh. Christoph Olearii, Diac. & Biblioth. Arnstadt: meritiss., quibus de hac substrata materia (11) utitur, addam, inquit: Es war bey denen Alten ein denckwürdiger Gebrauch daß sie denen Verstorbenen Geld und Münzen mit gaben, welches man entweder in den Mund (12) oder in den



den Sarg, oder wenn sie nach heydnischer Art verbrannt waren, zugleich nebst derer Aschen und Knochen in gewisse urnas oder Todten-Töpffe (13) geleyet hat. Die Ursache dessen war theils ein irriger Wahn, als hätten die Todten einen Naulum oder Fähr-Lohn von nöthen dem Charon zu geben (14), wenn er sie übersetzen solte; Theils war der Zweck die letzte Ehren-Bezeugung, dadurch der Verstorbene Grabmahl zu beehren und prächtiger zu machen (15), wie solches hin und wieder bey Eröffnung dergleichen alten Gräber, und gefundenen Todten-Töpffen, nach der Zeit ist bekant worden (16), und sonderlich des Childerici Königs in Frankreich von Chiffletio (17) beschriebenes Grab gnugsam davon zeuget. *Id vero, quod & hoc loco ad huc annotatu dignum, non magis admirationem quam abo-*



minationem meretur, inter alias  
 Christianæ Religionis ceremoni-  
 as, hunc quoque à gentilibus mu-  
 tuatum atque introductum olim  
 in Ecclesiam fuisse ritum, quo SS.  
 Eucharistiæ symbola, quæ ægro-  
 tantium & ad alteram vitam an-  
 helantium meritò à patribus Via-  
 ticum adpellantur, non mortuis  
 tantum infusà, verum & conse-  
 pulta ad modum nauillegimus.  
 Ut vero major mihi habeatur fi-  
 des, L. B. haud gravatim evolvat  
 (18) famigeratissimū PP. Societatis  
 Jesu Theologum Theophilū Ray-  
 naldum Gallū *Aliqui olim, scribit,*  
*ori ipsi mortuorum imposuere S.*  
*Eucharistiam ad abolendū usum*  
*ethnium immittendi ori mor-*  
*tuorum pecuniolam, quæ esset pro*  
*nauo ad transvectionem per*  
*cymbam Charontis. Ut ergo is pro-*  
*fanus usus aboleretur, & nau-*  
*lum transvectionis nostræ in cæ-*  
*lum*



lum esse Eucharistiam docerent,  
 ori mortuorum divinam Eucha-  
 ristiam immittebant. Nihil ho-  
 rum nunc locum habet apud fide-  
 les, & qui eo pacto honorare Chri-  
 stum in Eucharistia vellet, incon-  
 sultissime faceret, & Christi po-  
 tius de honestator audiret, &c. Vi-  
 dentur autem, pergit, qui hoc mor-  
 tuis subsidium ex suo sensu citra  
 Ecclesie suffragium adhibuerunt,  
 aut corrigere, aut in melius com-  
 mutare voluisse usum quendam  
 ethnicorū, aut de restituenda de-  
 functo communionē Ecclesiastica  
 fuisse solliciti. Is quem dixi, usus  
 gentilium erat, ori mortui homi-  
 nis trientem imponere, tanquā  
 naulum apud inferos pro portorio  
 pendendum; Ut igitur significa-  
 rent, Eucharistiam, quæ verè est  
 pignus gloriæ, esse Christianis  
 naulum transvectionis ad glori-  
 am, dimisso ethnico usu trientis,



*immitebant ori defuncti corpus Christi &c.* Non solum vero Eucharistiam ad modum nauli, sed etiam contra masticationem mortuis infusam & conssepultam fuisse, subsequenti §. IX. & quidem ubi in specie de altero Christianorum sine nummum in os defuncti indendi sermo est, pluribus ostenditur.

- (1) *In Saxon. libr. II. (2) Programm. LVII. de pecunia cum mort. sepulta. p. 673. (3) in Dialog. precipuè in Dissert. Satyrica de luctu. (4) in sine explicat. terrarum orb. (5) d. XV. Febr. MDCCX. in novell. ordin. Hal. (6) in libello de Mumia Wratislaviensi pag. 45. 46. (7) Lib. II. c. IX. p. 460. (8) in Colloqu. anni MDCXCV. p. 966. (9) Part. VI. Mirac. Mort. cap. LXIV. (10) Monatliche Unterredungen. (11) in Parentat. B. Magen, Mercat. Arnstadt Anno 1699. d. 11. Maj. habita. (12) Alex. ab Alex. Genial. Dier. Lib. III. Coël. Rhodig. lib. X. (13) Licer. de lucern. antiqu. Kirchman, de Fun. Rom. Kircher. Lat. fol. 69. Worm. Mus. f. 361. Mellen de urna J. G. Olearii Sarmat in cap. 22. Alberti de urnis feral. p. 17. Büttner de urn. Querfurt. p. 33. Wilde Select. Numism. p. 4. Balduin, de urn. Gent. Germ.*



ex Golzio & c. (14) Casal. de Rit. Rom. p. 145. M. Tull. de LL. 2. Fest. lib. XIV. Licet. l. c. Lib. VI. c. 91. & 127. Spon. Recherch. Antiqu. Dissert. XVIII. p. 142. (15) L. 4. S. 6. ff. ad L. Jul. pecul. Marqu. Freher. de re Monet. cap. 3. Joseph. in Antiqu. varia de reconditis thesauris in Israëlit. monum. Sepulcr. Eggeling. de num. Antinoi Stan. p. 27. (16) Lambec. lib. I. 77. 78. seqq. Bebel. Antiqu. Argentorat. p. 21. Valvas: & Francisci hist. Carn. lib. IV. c. 22. lib. XI. p. 51. Tenzel. Dial. Menstr. M. Oct. 1691. (17) Anastas. Child. Franc. Reg. Patris Chlodovei. M. prope Tornacum, Car. Patin. Relat. Histor. 1. & c. (18) Heteroclit. spiritual. Tom. I. Sect. I. Punct. VII. fol. 82.

§. IX.

Si de origine hujus consuetudinis nonnihil est dicendum, eam à gentilibus inventam esse, nemo dubitabit. Huuc enim in finem nummum seu pecuniæ speciem in os defunctorum immiserunt, ut Charonti pro stygiæ paludis transmissione, tanquam naulum, quod δαυάνη à Græcis, teste Lambecio, (1) vocabatur, persolveretur, id quod nos



Lucianus (2) docet, dum de gentilibus ita scribit : *Cum quis e domesticis obierit, primum obulum in os indunt, ut sit portitori trajectionis merces.* Græci enim, fabularum inventores alias sagacissimi, hac in parte sibi temperare non potuerunt, quin supposito & tormentorum & recreationis loco, ad quem non nisi trajecta Acherusia palude pervenire quisquam possit, nautam quendam ætate confectum lucrique cupidissimum fingerent, qui naulum à mortuis exigat, antequam eosdem ad inferorum regna perducatur, quæ Cerberus, mordacissimus canis, qui semel ingressos terribili suo latratu exire vetet, custodire soleat. Exinde factum, ut quilibet suis vita defunctis transitum faciliorem reddere conaretur, dum coronâ floridâ, tanquam fragilitatis imagine ornatis, nummi

mi



mi quoddam genus in os include-  
 rent, favumque cadaveri eorum  
 apponerent, quo ex sententia Ni-  
 colai (3) gratiam Cerberi aucupa-  
 ri, ejusque insatiabilem famem  
 explere possent. Naulum verò  
 à Græcis *δανάην* hanc ob causam  
 appellatum fuit, quia dabatur *τοῖς*  
*δαναοῖς* à *δανός*, quod ficcum aut  
 torrefactum significat nam ossa  
 mortuorum quasi sunt torrefa-  
 cta. Ubi silentio haud prætere-  
 undum, quod poëtæ Græci lapi-  
 dem avænum, juxta relationem  
 Scholiastis sibi fingant (4) in infer-  
 no, ad quem expectandum, do-  
 nec corpora in pulverem sint re-  
 ducta & planè exsiccata. Suidas  
 naulum istud, quod *δανάην* vo-  
 carunt, ita describit: (5) *quod sit*  
*nomen nummi, quem olim mor-*  
*tuis dedissent, ipsum cum illis se-*  
*pelientes, aut Acharusia naulum.*  
*Acharusia verò palus est, apud*

E 5 in



*infernus, quam defuncti trajiciunt, ante dictum nummum portitoridantes, Et Hefychius pretium ejus (6) annotavit. Danace, inquit, est numisma quoddam barbaricum plus paulò obulo valens. Sic autem & dicebatur obulus, qui dari solet mortuis. Illud hoc loco adjici omninò meretur, quod Græci eò processerint audaciæ, ut quosdam suorum communi huic morientium legi subtrahere sint conati. Sic enim Natalis Comes (7) excipit solos Hermonientes, qui ad sinum Argolicum in Peloponneso siti erant, & brevissimum se ad inferos descensum habere, præ cæteris gloriabantur. Græcorum vestigia arctè satis presserunt Romani, quippe de quibus Kippingius ita (8) differit: Nummus aeneus inferebatur ori ejus, qui efferebatur pro funere, nautium*  
*Cha-*



Charonti persolvendum pro sty-  
gia paludis transmissione, quem  
deinde peracta ussione una cum  
cineribus indebant loculo seu ur-  
nulis atque cum iis semper effo-  
ditur. Consentit cum eodem A-  
pulejus (9) inquit: Cum ad flu-  
men mortuum venies, cui Præfe-  
ctus Charon protinus expetens  
portorium, sic ad ripam ulterio-  
rem subtili cymba deducit com-  
meantes. Ergò inter mortuos  
vivit avaritia? Nec Charon il-  
le Ditis Pater, tanto Deo quic-  
quam facit gratuito, & pauper  
moriens viaticum debet querere,  
& es, si fortè præ manu non fue-  
rit, nemo eum expiare patietur?  
Huic squalido seni dabis nauli  
nomine de stipibus, quas feres,  
alteram, sic tamen, ut ipse sua  
manu de tuo ore sumat. Etpau-  
lò post: Ac deinde avaro nau-  
tæ, datâ, quam reservaveras,  
sti-



*stipe, transitoque ejus fluvio, recalcans priora vestigia, ad istum caelestium syderum redibis chorum.* Probat & hoc inscriptio Camerinenfis notatu digna, quā his conceptam invenimus verbis: **INFERNO. PLUTONI. CHARÆ, UXORI. PROSERPINÆ. TRICIPITIQVE. CERBERO. MUNUS. MECUM. FERENS. DAMNATAM. DEDO. ANIMAM. VIAMQVE. HOC. ME. CONDO. MONIMENTO. NE. OBRUTIS. DOMUS. LAPSU. FILIIS. SEX. QVOS. P. SCIPIO. PATRIUS. CAMERTIBUS. A. SALO. ET. LYBIA. INCOLUMES. RESTITUERAT. IN. DESOLATA. ORBITATE. SUPERSIM. MISERA.** Hinc Pexenfelderus (10) sepulchrales Romanorum ritus exponens, inter alia his utitur verbis: *Apud quasdam gentes trientem defuncta*



cto in os inferebant, pro nauulo,  
 quem trajecturus Acherontem,  
 Charonti solveret, aut manus  
 placentam indebant, quam la-  
 tranti Cerbero objiceret. Plures  
 unius ejusdemque rei dari posse  
 fines, ex subsequentibus eluce-  
 scet. Græci enim & Romani, uti  
 supra fuit monitum, in eo quidem  
 conveniunt, quod hoc ipso num-  
 mo Charonti portorium persol-  
 vere voluerunt; Nam nullum  
 mortis genus magis averfaban-  
 tur veteres, quàm quod per undas  
 fiebat, & parricidas non atrocio-  
 ri supplicio affici posse, certò  
 sibi persvadebant, quàm si undis  
 suffocarentur, sepulchroque a  
 deò privati circumvagari neces-  
 se haberent. Quorsum illud Vir-  
 gili (II) ubi Sibylla Æneam ita  
 alloquitur:

*Hæc omnis, quam cernis, inops inbuma-  
 taque turba est,*

*Por-*



Portitor ille Charon, hi quos vehit unda  
 sepulti,  
 Nec ripas datur horrondas, nec rauca  
 fluenta,  
 Transportare, priusquam sedibus ossa  
 quierunt.  
 Centum errant annos, volitantque hæc  
 littora circum,  
 Tum demum admissi stagna exoptata re-  
 visunt.

Hinc ejusmodi nummus nunc  
 μισθὸς τῆς πορθμεΐος, nunc πορθ-  
 μεΐον; nunc ναῦλον, nunc δανάκη,  
 nunc καρμάθοντα Græcis voca-  
 tur, apud Romanos verò Nauli  
 ac Portorii nomine plerumque  
 venit. Ast, ni fallor, hic ritus al-  
 tius quid sapere mihi omnino vi-  
 detur; haud enim persuasum ha-  
 beo, Poëtarum figmentum de  
 Charonte quodam infernali, tan-  
 to applausu ac consensu ab om-  
 nibus atque singulis fuisse rece-  
 ptum, nisi aliud quid fabula hac  
 indicatum esse ipsis constitisset.  
 Quantum itaque ego augurari  
 pos-



possum hoc ipso ultimum naturæ debitum morte solvendum Græci docuerunt, omnesque huic moriendi legi adeò devinctos esse mortales, ut omnium opum, divitiarumque pretio mors declinari minimè possit. Romanos verò istum ritum hanc ob causam recepisse, veritati consentaneum est, quod famæ suæ, quippe cuius semper erant studiosissimi, hòc pacto accedere quid posse judicarent, dum nummi in sepulchris inventi ad demonstrandas Imperatorum, sub quibus demortui vixerant, ætates apti viderentur. Ex hac ratione clarissimus Tenzelius nummum Antinoi, de quo supra §. VII. eam ob causam adjectum fuisse, hariolatur; *partim ut Antinous, ceu Deus tutelaris, defunctum ab omni inquietudine defendat, partim ut Charonti solvatur portorium, partim eti-*  
*am,*



am, ut aliquando ejus indicaret nomen, qui ibi sepultus est. Quæ ultima sententia Eggelingio præ cæteris omnibus arridet. In ea enim vir doctissimus versatur opinione, quasi Opilius Marcellus in honorem Antinoi Mone- tam imprimi curasset, cujus gene- ris isthæc sit, quæ haud procul à Corintho, fortè in ipsius tumulo est inventa. Parimodò Lambe- cius alteri duorum Antonini nu- mismatum sequentem addit ex- plicationem: *Si quis querat, in- quit, quæ causa sit, cur unicum hoc parvum numisma osibus de- functi in arca sepulchrali adjun- ctum fuerit, duplici potissimum nomine id factum fuisse, respon- deo, nempe (1) ut Numisma hoc character esset Chronologicus im- perii Antonini Caracalle, sub quo defunctus obiisset. (2) aut ut idem numisma esset loco illius*  
 num-



nummuli, quem veteres ori mortuorum in jerebant, ut Charonti pro stygia paludis transmissione tanquam naulum persolveretur. Si ulterius in finem istum inquiram, quem Judæi in observando ritu hoc nummos in ora defunctorum immittendi, intenderrint, nihil certè est, quod solidum esse putem. Quotquot enim de hoc argumento licuit autores evolvere, nec quicquam de fine hujus superstitionis à Judæis observatæ, commemorant. Si meam hac in parte mentem explicare liceat, probabilissimùm videtur, quod Judæi, ceu gens ad superstitionem & Idololatriam maximè proclivis, ut multos alios gentilium ritus, sic & hanc superstitionem cœco quasi impetu imitata fuerit. Sin verò aliquis specialioreni eruere poterit finem, gratum & mihi erit, si eum

F                      mecum





mecum communicare non detrectabit. Sed forsitan adhuc finem, L. H. à me expectabis, quem Christiani sub hoc ritu intendunt. Duplicem vero ob finem ab ipsis factum fuisse, historiarum monumenta comprobant: Primus erat, & adhuc existit, ne redeant defuncti & relictam pecuniam vel auferant secum, vel saltem hæredes impediunt, quò minus commodè eadem utantur. Quæ superstitio etiam nostra memoria in Papatu apud stultas mulierculas mansit, quod eorum animas post mortem non oberrare, non in ædibus strepitus facere, crederent, in quorum jam defunctorum os nummus aliquis injectus esset. vid. (12) Hesychium. Et ex hoc falso præsupposito falsa quoque vulgi orta est opinio, quod scilicet anima hominis, qui thesaurum quendam abscondidisset,



diffet, morteque præventus placida quiete minimè frueretur, nisi pecunia relicta novum agnosceret dominum. Fingunt porro exinde, quod animæ mortuorum nocturnò tempore ceu lumina appareant in locis istis, ubi magnus thesaur<sup>9</sup> recondideretur. Quæ figmenta eo ipso probare satagunt, quod interdum spiritus quidam homines vocare soleat, thesauros reconditos ipsis demonstratarus, de quo hinc inde exempla plurima videri possunt, imprimis tamen B. L. ad Lehmannum ablego, qui (13) exemplum speciale narrat. Alter hujus rei finis apud Christianos superstitione hac captos, est, ne scilicet mortui manducent, quod Germani efferunt per *Schmazen*. Siquidem Rollenhagius (14) annotavit, quod etiam suo tempore in Saxonia multis in locis ori defun-

F 2

ctorum



etorum lapillus cum nummo fu-  
 isset insertus, ut à manducando  
 abstinere, quem superstitionis  
 ritum Garmannus (15) prolixè sa-  
 tis describit. *Mortuo, inquit pri-  
 usquam os claudatur, lapidem &  
 nummum ponunt in ore, ut si in  
 sepulchro mordere incipiat, lapi-  
 dem & nummum inveniat, &  
 morsu feriatur.* Imò & Chri-  
 stianorum castra modò paulò di-  
 versò infecit absurdus hic ritus;  
 quandoquidem Canon VI. tertix  
 Synodi, Carthagine celebratæ,  
 manifeste ostendit, defunctis  
 quoque Baptisimi & Eucharistiæ  
 Sacramentum non sine abusu so-  
 litum consecrari (16) nummique  
 loco adhibitam esse hostiam,  
 quam defunctorum ori illatam,  
 vel pectori solùm impositam,  
 ἐφόδιον commodè appellari pos-  
 se, credebant. Cujus rei exemplum  
 notatu dignissimum statim ad-  
 dam.



dam. Gregorius id profert (17) de puero quodam Monacho, qui impensius amans parentes suos, eosque visitans, sine licentia & benedictione ex monasterio discedendo, obiit, quumque mox defunctum terra semel iterumque ejecisset, ejus Parentibus hanc ob rem mire turbatis, S. Benedictus manu sua protinus communionem Dominici corporis dedit, dicens: *Ite, atque hoc Dominicum corpus super pectus ejus cum magna reverentia ponite, & sic sepultura eum tradite.* Quod dum factum fuisset, susceptum corpus ejus terra tenuit, nec ultra projecit. Et contra masticationem Eucharistiam mortuis infusam esse ex dissertatione (18) dilucide constat. Stolidam certe est opinio, qua mortuis actionem aliquam tribuunt; dicunt enim, si linteolum attingant, ore istud



devorare, & hæc damna exinde oriri, quod mortis crudelitas in totam familiam postea sævire incipiat. Loci hujus non est, pervestigare causas istius actionis, quos alii cum Bickero (19) nescio quibus astris necromanticis, alii cum Schwimmero (20) Sympathiæ, ob quam vi arctissimi inter domesticos vinculi, in contagium raperentur superstites, vel Antipathiæ inter cadaver & velamen devoratum, tribuere, non erubescunt. Huic ergò malo in tempore occurrere serio laborant vespillones. v. g. Lipsiæ hic ut & alibi glebam cespitem conspicuam collo defuncti supponere solent. Dresdæ linteum seu collare firmiter affigunt, & id nullam aliam ob causam, quam ut defunctis occasio manducandi præcludatur. De cadaveribus autem porcorum, instar manducantur



dentium in cryptis mentionem fecit Beierus (21) Mullerus (22), Stieflerus (23), ut & ipse Lutherus (24), quæ loca L. B. proprio studio, si placet, consulere potest.

- (1) *Lib. I. de Biblioth. Cæl. Part. I. p. 89.* (2) *in Dialog. & quidem Satyr. Diff. de luctu.* (3) *de Græcorum luctu. cap. IV.* (4) *Ad Aristoph. Aët. I. Sc. IV. v. 15. in Ranis.* (5) *Voce Δανάκη.* (6) *in Lexic.* (7) *in Mythol. Lib. III.* (8) *Antiqu. Rom. Lib. IV cap. VI p. 123.* (9) *Lib. VI. Metam. de asino aureo in fabella Psyche.* (10) *in Appar. erud. p. 684.* (11) *Lib. VI. Æneid. v. 325. seqq.* (12) *in voce, ναῦλον.* (13) *Erzgebürgische Schauplatz. p. 183.* (14) *Lib. IV. mirab. peregr. cap. XX.* (15) *de Mirac. Mort. Lib. I. Tit. III. §. 7. p. 28.* (16) *Histor. Goth. v. 365.* (17) *In Dialog. lib. II. cap. XXIV. add. Sviceri Thesaur. v. Σύναξις p. 1142. seqq.* (18) *Job. And. Schmidii de Eucharist. mort.* (19) *Lib. I. Sect. III. cap. VII. add. Herment. viv : p. 410.* (20) *In curiosit. Diff. IV. Theor. IV. §. XIV. p. 67.* (21) *in Fasc. dictor. Bibl. cap. IV. n. 32.* (22) *Annal. Freibergens. p. 254.* (23) *Historien-Schatz. Part. II. p. 1911.* (24) *Zisch - Reden. Tit. XXIV. p. 21. & 212.*



§. X.

Ex hactenus dictis veritas hujus  
 consuetudinis satis abunde con-  
 stat, nec facile in dubium vocari  
 poterit, quod de hoc argumento  
 dictum aut scriptum subinde fuit.  
 Siquidē hic ritus non à gentilibus  
 tantum, quos meritò plurima-  
 rum superstitionum autores no-  
 minamus, adhibitus fuit, sed  
 ipsum quoque apud Judæos vi-  
 guisse, supra dicta satis superque  
 declarant. Et sicuti gens Chri-  
 stiana, non raro ejusmodi aluit,  
 & adhuc alere solet asseclas, qui  
 vanis superstitionibus & inani-  
 bus fabulis delectati fuere, ita &  
 ab hoc superstitionis genere im-  
 munis non mansit. Imo ritum  
 hunc diu & per multa secula du-  
 rasse, ac dudum jam inter Ethni-  
 cos obtinuisse, antequam Chri-  
 stianorum honorabile nomen in  
 orbe innotuit, ipsa veneranda lo-  
 quitur



quitur antiquitas. Quo Zelo  
 autem & quā pietate hæ gentes  
 olim consvetudinem hanc inter  
 sese observaverint, ex eò clarissi-  
 mè patet, quod aureos & argen-  
 teos non solum, sed & cupreos  
 atque æneos nummos, quibus  
 peculiare figuræ impressæ fue-  
 runt, adhibuerint, defunctique  
 ore condiderint. Hæc pro insti-  
 tuti mei ratione sufficiant dixisse  
 de Historico Tractationis hujus  
 capite, jam ulterius Moralitatem  
 consvetudinis hujus expen-  
 dam. Istam autem  
 absolvet



CAPUT II.

DE

MORALITATE HUIUS CON-  
SVETUDINIS.

SUMMARIVM.

§. I. Quærit, an corpora defunctorum, Chri-  
stianorum præsertim, sint sepelienda? §. II.  
De Sepultura observata in bellis agit. §. III.  
De Sepeliendis imprimis Christianorum  
corporibus agit. §. IV. Incidenter quæ-  
rit, num etiam bruta sepelire liceat? §. V.  
& VI. De non lædendis mortuis, neque  
verbis neque factis, agit. §. VII. Quærit,  
quid de consuetudine, pretiosa quæque  
imò ipsam pecuniam cum mortuis sepe-  
liendi, statuendum? quæ consuetudo re-  
jicitur. §. VIII. Damna ex isthac consuetu-  
dine profluentia demonstrat. §. IX. Quæ-  
rit, quid de ritu, nummos in ora defun-  
ctorum indendi, sentiendum? qui nonso-  
lum in hoc §. quoad primum finem, sed  
etiam quoad alterum finem, in §. X. planè  
rejicitur.

§. I.

**E**X iis igitur, quæ superiori  
capite historicè pertractavi,  
triplex emergit quæstio,  
quarum prima hæc esto: An et-  
iam



iam corpora defunctorum, præsertim Christianorum, sint sepelienda, terræque mandanda? Et ad hanc respondeo affirmativè. Non enim laudabilis solum est consuetudo, corpora hominum exanimata humare, atque terræ mandare, sed maximæ etiam sunt rationes, quæ homines superstites movere possunt, ut mortuis suis ultimum hoc humanitatis officium exhibeant, quippe natura ipsa hanc legem præscribere videtur. Et misera vitæ humanæ conditio admonet homines, corpora post animarum solutionem, terræ, unde ortum traxerant, reddere, redit enim hac ratione ad matrem suam. Et licet corpus vel centum involucris vestiatur, eò tamen, quamvis per ambages plurimum vanas recurrit, non curante naturâ sepeliendi conditionem, an morte naturali vel  
vio-



violenta fit extinctus. Sicut autem sepultura Juris Naturæ est, ita & in ipso Jure Gentium fundata esse videtur. Voluntariè tamen consuetudo hæc magis ab omnibus gentibus recepta est, quàm ut una gens, alteram ad illam obligare possit. Nulla certè tam barbara, aut ab omni humanitatis usu, juxta effatum Demsteri (I) ita remota est gens, quæ sepelire mortuorum corpora non probaverit. Hominem ergò exuisse, naturæque humanæ dedecus fecisse jure meritoque dicuntur Scythæ, quorum alii, ut Massagetæ, Derbices, Essedones, defunctorum corpora arboribus suspenderunt. Scythis Persæ quoque annumerandi sunt, quibus solenne fuit cadavera extra urbis mœnia elata in campo deponere, ut pasca dent feris & volucribus. Sic Æthiopum nonnulli, Lothophagi &



& Ichthyophagi mortuos in mare præcipites dederunt. Hircani Bactrii canibus domi adhuc nutritis dilaniandos vita functos objecerunt. Chii combustis cadaveribus & ossibus collectis in mortario ea contundunt, deinde in navigio imponentes, in altum navigant, atque per cribrum ad ventorum flatus dispergunt, donec omninò dissipentur atque aboleantur. Troglodytas quosdam ferunt adducti in collem defuncti colla laqueis ex paliuro contextis crucibus alligare, faxisque non sine risu petere & obruere, quousque corporis faciem occultent. Imposito dehinc capræ cornu omninò hilares discedere. Tibareni præcipitant Senes, velut ait Hieronymus, in patibulo suspendunt. Sogdiani interficiunt Parentes, more ab Alexandro sublato, interficiunt &  
Tri-



Triballi, fustibus Sardi, tanquam eos, qui otiose degant. Iberi vul- turibus mortuos exposuerunt. Barbaras hasce gentes ipsa ani- mantia bruta humanitate (liceat ita loqui,) superare videntur. Hinc Petrus Faber Semest. (2) di- cit: *Fera hanc humanitatem de- functis corporibus detulisse pro- duntur, homines denegabant?* Sicut enim nullum, verba sunt Hugonis Grotii, (3) *in homine factum est laudabile, cujus non vestigium in alio aliquo animan- tium genere Deus posuerit, ita & in hac re evenit.* De apibus, mel- lis procreatricibus, Virgilius (4) ita loquitur:

- - - - *Tum corpora luce carentum*

*Exportant tectis & tristia funera ducunt.*

Idem de solerti formicarum ge- nere narrat, hisque solis ex ani- mantibus ratione carentibus tri- buit Plinius (5) quando inquit:

*Se-*



*Sepeliuntur interse viventium sola, præter hominem.* Plutarchus testatur (6) formicas habere tres cavernulas, & in illarum una comitia celebrari, in altera penum annuam recondi, tertiam verò esse mortuorum cœmeterium. Taceo grues, elephantos, delphinos, de quibus in specie Petrus Faber Semestr. loco allegato consulendus. Valeant itaque cum hisce plusquàm barbaris gentibus Stoici ab humanitate prorsus alieni, qui juxta Dempsterum (7) parum interesse assererent, supra terram an infra putrescerent, quibus illud semper in ore: *Cælo tegitur, qui urnam non habet.* Valeant illi, de quibus apud Lactantium (8) perhibetur, quod supervacanea sit sepultura, nihilque esse, dixerunt mali, jacere inhumatum. Valeat Diogenes Cynicus, de quo Cicero (9) notat, quod



quod projici se jufferit inhumatum. Valeat denique Timon Atheniensis Philosophus, qui, prout è Bogsteau Kornmannus (10) recitat, quod sibi ipsi infensus erat, expressè ordinavit, ne corpus suum humaretur in terra, sed conderetur mari, sibi que tale Epitaphium erigeretur:

*Après ma miserable vie  
Je suis en terre sous cette onde,  
Deçavoir, mon nom nage en vie,  
O Lecteur! que le lieu te confonde.*

Longè aliter sensit Ulysses (11) qui maluit in vita re esse tenui, quàm honorata sepulturâ carere. Longè aliter Seneca (12) *Etsi, inquiens, terram ignoto mortuo injeci, nullum habeo hujus officii debitorem in publicum humanus. Quid est miserius in vita, quàm velle mori? Quid in morte, quam sepeliri non posse? Omnibus natura sepulturam dedit, naufragos idem qui expulit fluctus sepelit.*

Re-



Rectissime hinc Ariminius, vetus ille Poëta canit:

*Humano generi posuit natura creatrix  
Hanc legem, ut tumuli membra sepultâ  
tegant.*

Quæ & Græcorum lex fuit, quam Ælianus (13) habet: Νόμος καὶ ἦν ἀτλῆκός, ὅς ἂν ἀτάφω περιτύχη ἀνθρώπος πάντως ἐπιβάλλειν γῆν αὐτῷ.

- (1) *Paralip. Lib. V. cap. XXXIX.* (2) *Libr. III. cap. XIII. p. 125.* (3) *Libr. II. de lure belli & pacis cap. XIX.* (4) *Libr. IV. Georg.* (5) *N. H. Lib. XI. cap. XXX.* (6) *Libr. cui frons est: utrum animalia plus rationis habeant, quàm aquatilia.* (7) *Loco laudato.* (8) *Lib. VI. cap. XII.* (9) *Quæst. Tuscul. Libr. I. p. 1786.* (10) *de mirac. mort. Part. VII. cap. I.* (11) *Apud. Euripid. in Hecub.* (12) *Libr. V. de Benef. cap. XX. & Lib. VIII. controvers. IV.* (13) *Lib. V. variar. historiar. cap. XIV.*

§. II.

Et ex hac ratione non pacis solum, sed belli etiam tempore & inter arma commendata maximè atque culta veteribus sepultura

G mor-



mortuorum legitur : Appianus, referente Chrysoftomo (1) vocat lus sepeliendi trucidatorum corpora in acie, Κοινὸν ἐν τοῖς πολέμοις, servarique inter hostes, etiam si extrema odia præcesserint, tradit. Apud antiquissimos, juxta Barthium (2) sepulturæ honos non exiguus habebatur, adeo, ut contumeliæ loco ab infensissimis hostibus cadavera arcerentur sepulturâ, ut ex Homeri Heroum historia, ex bello Thebano aliisque historiis notum est. Idem in notis ad Claudianum (3) inquit : *Veteres contra fura humanitatis rebantur, tumultum cæsis invidere.* Ne hostis quidem juxta Taciti sententiam (4) sepulturam invidet. Nolumus itaque cum Ludovico Vives credere, quod Hercules, cui vetustæ Paganorum historiæ magna omnium virtutum exempla tribuunt,

pri-



primum permiserit cadavera hostium sepelire, id quod ex historia Æliani (5) autor citatus probare nititur. Sed si penitius verba Æliani inspiciamus, illud saltem ex iis patet, quod ævo antiquiori victoribus non fuerit cura hostium sepeliendorum. Solebant autem eos, qui in bello occubuerant vel ipsi victores suo impendio, in quibus bonitatis & humanitatis plus erat, terræ tradere, vel suis sub pactis occisorum corpora dare, ne careant eorum, quæ mos imperat, honore ultimo. Hinc factis induciis per legatos ad sepulturam interfectorum *λείψανα* ab hostibus poscebantur, nec ab illis certè nisi contra fas, corpora ad humationem petentibus denegabantur. Adeò ut ob negatam sepulturam bellum justè suscipi censuerint veteres consensu magno, ut ait Grotius loco sæ-



pius citato. Exempla hujus rei non rarò in historiis sunt obvia. Hannibal, licet juratus Romanorũ hostis, Caji Flamminii, item Tiberii Gracchi, Marcellique devictorum & obruncatorum Romanorum Ducum corpora ad funerandum quæsisisse, à Livio (6) dicitur; cujus facti Cicero etiam non sine laude (7) meminit his verbis: *Marci Marcelli interitum ne crudelissimus quidem hostis honore sepulturæ carere passus est.* Commendat (8) Q. Curtius humanitatem circa exequias atque sepulturam hostilium cadaverũ in Alexandro M. Post superatum Darium sepultis cum cura militibus, quorum corpora invenerat. Persarum quoque nobilissimos eundem honorem habere jusfit, matricque Darii permisit, quos vellet, patrio more sepeliret. Si Valerio M. (9) credimus, Athenien-



nientes tam studiose suorum in praelio caesorum sepulturam curarunt, ut in Duces, qui realio- qui praecclare gesta, suorum tamen in acie peremptorum corpora non tumulassent, graviter animadverterint. Hinc de Nicia, Atheniensium Duce, Plutarchus (10) refert, quod omnem exercitum subsistere iusserit, ut duos tantum peremptos milites honore tumuli ac funeris afficeret. Caeterum etiam Graeci quam studiose in praeliis caesorum corpora sepeliverint, ex historicis notum est. Sic Romanos urbe recuperata, quam gens fortissima Galli-Senones, occupaverant, Gallorum ossa legisse, & in media urbe tumulasse simul, quem locum Busta Gallica vocarunt, non sine laude (11) dicitur. Pompejus quoque humanitatem suam erga Mitridatem exhibuit. Nomen enim

G 3 ho-



hostile cum morte extinctum existimans in defunctum frustra iras exercendas putavit. Itaque nihil ejus corpori insultans in patrio id sepulchro condi jusfit, prout Dion (12) testatur. Suidas in laudem Romanorum (13) ita scribit: *Romani non neglexerunt hostes suos, nec passi sunt istos insepultos & exequiarum honore fraudatos jacere.* Apud Hebræos vero, teste Rhodigino (14) lege cautum est, ne hostem insepultum relinquerent. Septentrionales, nobisque viciniore populi h. l. non sunt prætermittendi. De his enim Olaus Wormius (15) in hunc modum scribit: *Si fors asperior ad hostes aut inimicos ipsos detrusisset, à quibus vita privati, tumulos apud ipsos obtinebant. Hostilem namque animum post mortem deposuisse & hospitalem in cadaveribus tumulandis*



dis pietatem exercuisse, summa  
semper fuit laudis. Inter alia  
exemplum hujus rei petit ex Sa-  
xone, Danorum Historico, qui (16)  
introducit Collerum, hostem  
suum Horvendillum, quo cum in  
arenam descendere pugnamque  
inire animus erat, oratione sa-  
ne eleganti alloquentem, quam  
subjicio: Quoniam exitus in  
dubio manet, invicem humani-  
tati deferendum est, nec adeo in-  
geniis indulgendum, ut extrema  
negligantur officia. Odium in a-  
nimis est, adsit tamen pietas, quae  
rigori demum opportuna succe-  
dat. Nam et si mentium nos di-  
scrimina separant, natura tamen  
jura conciliant. Horum quippe  
consortio jungimur, quantumscun-  
que animos livor dissociet. Haec  
itaque pietatis nobis conditio sit,  
ut victum Victor exequiis prose-  
quatur. His enim suprema huma-



nitatis officia inesse constat, quæ nemo pius abhorruit. Utraque acies id munus, rigore deposito concorditer exequatur. Facessat post fatum livor, simultasque funere sopiatur. Absit nobis tanta crudelitatis specimen, ut quam vivis odium intercesserit, alter alterius cineres prosequamur. Gloriosum Victori erit, si victi funus magnifice duxerit. Nam qui defuncto hosti justa persolverit, superstitis sibi favorem adsciscit, vivumque beneficiis vincit, quisquis extincto studium humanitatis impendet. In eandem sententiam Optatus Milevitanus contra Donatistas Catholicorum corpora sepeliri vetantes (17) loquitur, quæ verba adjiciam: Ut terreatis vivos, male tractatis & mortuos, negantes funeribus locum. Si inter viventes fuerat certamen, odia vestra  
vel



*vel mors aliena compescat. Jam tacet cum quo paulo ante litigabas, quid insultas funeri? Quid impedis sepulturam? Quid cum mortuis ligitas? perdidisti malitia tua fructum.*

- (1) In oratione περὶ ἑθῶν. (2) Libr. LIII. Advers. cap. VII. (3) de Bello Gild. v. 39. (4) Libr. I. Annal. (5) Libr. XII. var. Hist. (6) Decad. III. Libr. II. (7) Libr. de Senectute. (8) Libr. III. Histor. (9) Libr. IX. cap. VIII. (10) In vita ejus. (11) In Hist. Roman. (12) Libr. XXXVII. Hist. Rom. (13) voce ἀνδρῶν. (14) Lect. Antiq. Lib. XVII. cap. XIX. (15) Libr. I. Cap. 6. (16) Libr. III. Hist. sue. (17) Libr. VI. contra Parmen.

§. III.

Si itaque lex naturæ dicitur, omniumque gentium morationū consuetudo id rectè exigit, ut de mortui, prout decet, sepeliantur, multò magis Christiani obligati erunt erga defunctos suos officium sepulturæ honestæ observare. Deus ipse, cum homini lapsio justam irrogaret poenam, satis aperte declaravit, quod corpora in



pulverem revertenda sint. Certe nihil melius divino ordini respondebit, quàm si demortuos terræ mandamus. Si porrò terra omnium nostrum mater est, juxta S. S. effatum (1), justum omninò est, ut nos mortuos sinu suo excipiat, & ossa nostra usque ad extremum diem complexu suo custodiat. Ex laudabili isto humanitatis officio, quod demortuis exhibent Christiani, Christus atque Paulus egregiam comparationem (2) instituunt inter granum tritici & hominem pie defunctum. Utrumque suo tempore lætum exsurgere docent. Si monente Syracide (3) exempla virorum sanctorum respicere eaque imitari debemus, nobis etiam incumbet, corpora defunctorum honestè humare, quod viri sanctissimi omnitempore strictè observarunt. Exemplum haud vulga-



vulgare in Abrahamo omnium  
 fidelium Patre (4) habemus, qui  
 à filiis Chet pro uxore sua defun-  
 cta, Sarah scilicet, sepulchri locū  
 sibi expetebat sequentibus ver-  
 bis: *Date mihi possessionem se-  
 pulchri, ut sepeliam mortuum  
 meum, מִלְפָּנַי à facie mea.* Hinc  
 Augustini verba (5) probè ponde-  
 randa: *Non contemnenda, inquit,  
 aut abjicienda sunt corpora de-  
 functorum maximeque justorum  
 ac fidelium, quibus tanquam or-  
 ganis & vasis ad omnia bona o-  
 pera sanctus usus est Spiritus. Si  
 enim paterna vestis & annulus,  
 ac si quid hujusmodi tantò chari-  
 est posteris, quanto erga Paren-  
 tes major affectus; nullò modo  
 ipsa spernenda sunt corpora, que  
 utique multò familiarius & con-  
 junctius, quam qualibet indu-  
 menta gestamus. Iustum & parest,*  
 inquit Cyrillus, (6) omnes eò re-  
 poni,



poni, unde corpus hoc animi pondus hominis architecto desumpserat. Defunctorum interim reliquias viderit quispiam apud nos non nudas & negligenter in terram projectas, sed benè compositas, occultate namque sunt quodammodo in sinu matris in profundis terræ. Magnæ certè fuerunt prærogativæ, quas Moyses servus in domo DEI fidelis, habuit præ aliis hominibus, quales sunt, quod Deus cum illo collocutus sit, ut amicus cum amico, sed inter illas non ultima est, quod Deus ipse quasi manum admoverit ipsius sepulturæ. Deus enim ipse Mosen humavit, & nemo ad hunc usque diem testante S. S. (7) sepulchrum ejus cognovit. Si ulterius perpendimus, quod Deus sepultura Filii sui unigeniti modum sepeliendi honestaverit, & quod Christus sepulchra



pulchra nostra consecraverit, pro beneficio maximo reputare possumus, si exuviæ Christianorum post mortem rite componantur. Sicut enim Christus propter nos mortuus, ita quoque propter nos sepultus, ut contactu sanctissimæ carnis suæ sepulchra nostra sanctificaret. Et prout spiritualiter cum ipso sepulti sumus, (8) ita æquum est, ut in sepultura corporali ipsi conformemur. Qvemadmodum igitur firmò stat talo, quod sepelire mortuos à ratione pariter ac religione injungatur hominibus, neutiquam tamen ad defunctionis hujus obligationem requiritur, ut ornatus, qui securitati obest ac vanitatem arguit, ultra modum adhibeatur. Tantum verò abest, ut improbemus, differentiâ in deducendis funeribus uti, ut potius justum æquumque censeamus, unum præ  
al-



altero magis honorificè efferri. Magisenim obligati erimus bono atque probo civi, qui suarum partium benè memor honesta plurima per dies vitæ operatus est, patriæ profuit, suoque exemplo multum ædificavit, quam inutili terræ carcinomati fruges tantum consumere nato. Laudabile igitur est virorum de Ecclesia & universa Republica meritissimorum memoriam debita reverentia recolere, honorificè eorum funera ad cœmeterium deducere, & numerosa frequentia comitari. Hæc omnia autem, quæ hætenus de moralitate sepulturæ proposui, non simpliciter, sed in ordine suo intellecta volo. Probè enim distingvendi sunt isti, quibus honor sepulturæ exhibendus. Jam pridem inter gentiles nonnulli discrimen hac in parte observarunt, apud Græcos enim  
 non





non cremabantur *αὐτόχειρες*,  
 sed terra obruebantur in loco ob-  
 scuro & ignobili sine ceremoniis.  
 Et Plato (9) sanxit, ut, qui ami-  
 cissimum, i. e. se ipsum, vita pri-  
 uaret, non iudicio civitatis, nec  
 tristi vel inevitabili fortuna ca-  
 su coactus, nec pudore aliquo  
 extremo compulsus, sed ignavia  
 & formidolosi animi imbecillita-  
 te injustè sibi mortem consciverit,  
 sepulturam habeat solitariam,  
 ubi alius nemo condatur, quæ de  
 duodecim regionis partibus ultra-  
 ma, deserta, innominataque  
 sit; sic obscurus, ut neque sta-  
 tua, neque inscripto nomine se-  
 pultura notetur. Ast si hone-  
 sta solùm, alii verò sapientiores  
 quoque Gentiles omni planè,  
 quosdam sepultura prohibue-  
 runt. Sic apud Romanos juxta  
 Pythagoram illi, qui sibi ipsis fer-  
 ro aut laqueo mortem intulissent,  
 pri-



primis Romanæ reipublicæ temporibus sepultura omni prohibiti fuerunt, vel ut à voluntaria morte absterreantur, vel quod indignum rati, ut inveniantur manus, quæ sepeliant eum, quem occidere suæ. Tarquinius Priscus, referente Plinio (10) *αὐτοφονευτὰς* non solum insepultos abjici, sed & corpora eorum crucibus, spectanda civibus, simul & feris volucribusque devoranda affigi jusfit. Pœnam illorum, qui sibi ipsis manum intulerunt, Ellertus Leoninus (11) prolixè describit, inter alia hæc addens verba : *Ex quacunque causa quis se interfecerit sive etadio vitæ, sive ex impatientia doloris, sive metu criminali, sive alia ratione, corpus in sterquilinio cum canibus communem sepulturam habet, vel, quod ex consuetudine magis usitatum, furca suspenditur, & bona confiscan-*



*fiscantur.* Mitigatam autem poenam, Kirchmannus ait (12) & restrictam ad eos, qui facinoris alicujus sibi conscii è medio se ipsos extulissent, h. e. qui supplicium de se sumendum antevertissent. Inter Christianos igitur non improbandum est, si facinorosi, qui seipsum vita privant, insepulti iussu Magistratus suspendantur, siquidem de his legibus civilibus decernitur, quod eorum corpora patibulo ac rotæ relinquenda. Vix enim ac ne vix quidem sceleratius quid fieri potest, quam corpori, cujus domini non fumus, bestiis immaniores manus violentas inferre, Dei judicia vituperare inque jus ipsius è mundi theatro nos avocandi temerè involare, ac debita societati humanæ officia ulterius invidere. De hoc autem scelere optimè deter-

H reri



reri possunt viventes, si exemplo  
 virginum Milesiarum (13) videant  
 cadavera *αυτοτοντων* malè tracta-  
 ri. Haut verò dissimulo, ratio-  
 nes allatae tanti non esse, ut Magi-  
 stratui hunc præcise puniendi  
 modum injungant, sed tantum  
 svadere, ut Judex rigorem in ter-  
 rorem aliorum adhibeat, quem  
 tamen pro consuetudine ac utili-  
 tate gentis suæ modo intendere,  
 modò remittere poterit. Et ex  
 hac libera disponendi facultate  
 hodienum jure Saxonico *αυτοφο-  
 νες*, sepultura canina destinata  
 est, quam fusius describit & exem-  
 plis singularibus illustrat B. Car-  
 pzoivius (14). Mitius verò proce-  
 dendum esse censeo cum Melan-  
 cholia & Phrenesi correptis,  
 quamvis nec ipsorum compro-  
 bo *αυτοφοviaν*. His enim modò  
 laudatus Carpzoivius (15) sepultu-  
 ram



ram cum ceremoniarum tamen  
moderatione adjudicat.

(1) *Syr. XL. v. 1.* (2) *Job. XII. v. 24. & 1. Cor. XV. v. 37.* (3) *Cap. II. v. 11.* (4) *Gen. XXIII. v. 4.* (5) *Lib. I. De Civitate Dei Cap. XIII.* (6) *Lib. X. Contr. Julian.* (7) *Deut. ult. v. 6.* (8) *Rom. VI. v. 4.* (9) *Libr. IX. de Legib.* (10) *Libr. XXXVI. cap. XV.* (11) *in Process. Crim. ad Tit. c. n. 7.* (12) *De funeribus Romanorum. cap. IX.* (13) *vid. Gellius Noct. Attic. Libr. XV. Cap. X.* (14) *Const. L. II. Tit. XXIV. Def. 376. seqq. & Crimin. Part. I. Q. II. p. 12. 13.* (5) *Jurispr. Forens. Rom. Sax. Part. IV. Const. XXXIV. def. 6.*

§. IV.

Non injucundè hoc loco quaeritur : Num & bruta sepelire liceat ? Quam rem brevissime pro ingenii modulo decisurus respondeo : Nec à parte brutorum nulla obligatione ad id præstandum tenemur, quia inter homines atque bestias nec Jus nec pactum Juri conveniens reperitur. Sin verò quis excipiat, bruta nihilominus de nobis benè mereri,

H 2

dum



dum egregia in nos conferunt beneficia, atque in periculis ingentibus haud rarò corpus nostrum eripiunt. Sic de Bucephalo, generosissimo Alexandri M. eqvo, refert Curtius (1) quod licet vulneribus altis in cervice atque in latere perfossus, tamen è mediis hostibus Alexandrum vivacissimo cursu retulerit, atque ubi eum extra tela extulerat, illicò conciderit & exspiraverit, & ob hanc fidelitatem Alexandrum Bucephalo mortuo sepulchrum fieri curasse, tumulumque erexisse, atque in ejus demortui memoriam Bucephaliam Indiæ urbem condidisse. Pariter ab eqvo, cui nomen NOBILIS fuit, serenissimum Albertum Archiducem Bruxelensem prælio ad Ostendam ab hostibus agnitum & jam ferè captum feliciter eductum esse, quem eqvum albentem deinceps anno



anno uno post, ipso die prælii recurrente, mortuum in equili addito carmine venusto depingi curavit. Quam picturam suo tempore Franciscus Swertius (2) adhuc spectavit. Quanto impenso columnarum de porphyrite tumulavit Polliacus dilectissimum suum canem, ornando eum bellissimo Epitaphio, affert Draudius, (3) Romæ in hortis Cardinalis Urbini Epitaphium canis tale legitur:

*Quod potui, posui tibi, fida catella, sepulchrum,*

*Digna magis cæli munere, quàm tumuli.*

De quo tamen Autore suspicari nolo, eum beatitudine dignam judicasse catellam, conjectans potius, ipsum joco ingenii ad Sibirium alluisse. Ibidem corvum aliquando, qui omnes Senatores & Patritios nominatim appella-



resolitus fuit, prælatis coronis, ac præcedente tibicine duorum Æthiopum humeris elatum esse Plinius (4) refert. Lacydes, Philosophus Peripateticus, anserem ita ipsi adhærentem, ut nec domi, nec foris ab eo discederet, post mortem, referente Æliano (5) non minus ambitiose, quam ut filium aut fratrem sepulturæ honore affecit. Enimvero hæc atque alia exempla non obstant, quominus bruta hominibus exhibere beneficia negemus. Cùm enim eorum actiones non sint voluntariæ, neque cum intentione benè merendi conjunctæ, & præterea ex debito vi dominii nobis in ea concessi profectæ, imputari quoque ipsis non poterunt. Grates itaque Deo erunt decernendæ, qui ipsorum, tanquam causarum secundarum ministerio nobis benefecit, non autem ullo



ullo modo ad sepeliendum ipsis nos esse obstrictos, statuendum erit. Multo minùs ex superstitione bruta sunt humanda. Id quod Ægyptiis circa accipitrem, felem aliaque animalcula usitatum fuisse, Herodotus (6) testatur. *Quibuscunque, inquit, in domibus felis oppetit mortem, earum domorum habitatores cuncti sola supercilia eradunt. Totum autem corpus & caput, in quorum domibus moritur canis. Efferuntur autem feles mortuæ ad sacra tecta, ubi salitæ sepeliuntur in urbe Bubasti. Canes fœminas in sua quisque urbe tumulant sacratis in loculis. Eodem modo, quò canes fœminæ, ichneutæ sepeliuntur. Nam Mygalas, i. e. mures, araneas, & accipitres in urbem Butum asportant. Ursos autem, qui sacri sunt, & lupos, non multò vulpibus grandiores,*



*eò loco sepeliunt, ubi jacentes inveniant.* Concedo interim à parte nostri propter utilitatem atque necessitatem brutorum sepulturā suscipiendam esse, ut scilicet physica impediuntur incommoda, & foetorem, aliaque mala, quæ insepulta cadavera venenatis exhalationibus ciere possent, prudenter tollantur è medio. Quid vero hic opus exequiis publicis, quas canibus ac Gallis quibusdam ivisse Poliarchum (7) Ælianus tradit? Sanè vanitatem hæc sapiunt, atque pecuniæ prodigalitatē, quam in utilitatem Reipublicæ convertere fatius fuisset. Sed hæc incidenter dicta sunt, ut appareat, bruta ab obligatione nostra erga mortuos esse alienissima. Homines solummodò mortui, in specie Christiani, hac gaudent felicitate.

(1) *Lib. IX. de gestis Alexandr. M. Cap. III.*

(2) *Delit. Select. Christ. orbis: p. 684. (3)*

*Annot.*



*Annot. in Solin. Part. I. p. 175. (4) Libr. X. Cap. XLIII. (5) Lib. VII. Animal. cap. XLI. (6) Libr. II. Cap. LXVII. (7) Variar. Histor. Lib. VIII. Cap. IV.*

§. V.

Qui deinceps à viventibus, jure Christianorum, neque verbis neque factis sunt lædendi. Verbis lædunt plurimi mortalium mortuos, qui ipsis maledicunt, famam eorum rodunt, vitam transactã convitiis proscindunt, imperfectiones crebrò in scenam producunt, falseq; perstringunt, & hac ratione opinionẽ de virtute atq; præstantia illorum vel imminuere, vel è bonorũ animis penitus eradicare laborant. His verò omnib<sup>9</sup> abstinendũ esse, lex naturæ postulat, approbando tritum illud vetustè proverbium : *De mortuis non nisi bona.* Malitiosos ejusmodi homines, qui vita extinctos fugillare haud erubescunt, graphice depingit Chytræus. (1) *Sicut corvi, vultures, leones, vul-*

H 5 pes,



pes, & fœda animalia alia cada-  
 veribus delectantur; Ita invidi  
 & hypocrite saltem insectione  
 mortuorum. Dignus itaque cu-  
 jus laus post fata supersit Chilon  
 Lacedæmonius, (2) quod suis hoc  
 serio inculcaverit monitum:  
 Τὸν τελευτηκότα μὴ καταλόγει,  
 ἀλλὰ μακάριζε. Cujus quoque  
 rei æquitatem ritè secum pensitan  
 Solon legem ferre non dubi-  
 tavit, quæ prohiberet, in defun-  
 ctos maledicta conjicere. Quin  
 imò deprecantur injuriam ca-  
 lumniamque vel ipsi manes in la-  
 pide quodam Romano antiquo  
 (3) VIATOR. NOLI. MIHI. MA-  
 LEDICERE. NEQVEO. IN. TE-  
 NEBRIS. RESPONDERE. Mul-  
 tò magis itaque mortui pariter ac  
 sepulti Christiani non solùm sunt  
 lugendi, sed etiam laudandi, imò  
 ipsis benè est precandum. Lu-  
 ctum quod attinet, non diffiteor,  
 ipsum



ipsum etiam lacrymis gestibusque prodi. Sed vero cum hæc pro subjectorum diversitate in plurimis variant, in multis planè non deprehendantur, & ore ceu svento cordis interprete mœror optime indicetur; illum quoque verbis appropriare libuit, nemini tamen legemponendo, quominus alia infimul ratione tristitiam mentis aperire possit. Notum siquidem est, penes singulas fermè gentes lugendi circumstantias discrepare. Luctum verò in genere, si non solius consuetudinis ergò atque pro forma, uti dicunt, suscipiatur, non tantùm licitum esse, sed etiam à jure naturæ suaderi pronunciamus. Namque eo ipso pium in mortuos affectû commodissime declaramus, eorumque operas societati fuisse gratas, cõtestamur. Modus tamen lugendi faciendus, ne meliorem



liorem ipsorum statum gentili-  
um ad instar nescire, vel male iis  
metuere videamur, præcipue  
cum ipsa quoque sana ratio argu-  
menta minuendi luctum suppe-  
ditet, prout hoc in erudita disser-  
tatione (4) Edelmannus prolixè  
demonstravit. Rationes Theo-  
logicas si quis audire mavult, ille  
B. Gerhardum (5) atque Friedlibi-  
um (6) proprio evolvat studio.  
Porro laudandi sunt mortui; Hic  
non tantum respicio orationes  
funebres in solenni comitantium  
panegyri dictas, ut eas non heri  
aut nudius tertius demum cœpif-  
se, sed apud Gentiles, e. g. Ægy-  
ptios (7) Germanosque antiquos  
(8) jam olim obtinuisse constet.  
Sed in genere omnia complector,  
quæ honorifice de mortuis pro-  
feruntur atque ad laudem eorum  
ullo modo tendunt. Sic fama  
eorum contra malevolorum ca-  
lum-



lumnias defendenda & ab oblivione vindicanda. Faciemus hac ratione, quod proximitas naturæ postulat atque utilitas societatis svadet, quæ gloriam virtutis calcare experitur. Quinimo dignos nos reddemus, quorum laus post fata in viventium ore crebrò versetur. Mortuis tandem bene est precandum. Formulas hoc in passu adhibitas apud gentilium scriptores reperies varias: *Terra sit levis!* (9) *Sine pondere terra!* (10) *Molliter ossa quiescant!* (11) *Felix lapis!* (12) Quæ tamen neutiquam sic interpretandæ veniunt, ac si meliorem defunctis statum à Deo exorare queamus, id quod Curia Romanæ basiatores propter effectum suum purgatorium propugnare sustinent, eo sane preces gentilium religiosæ non extenduntur: (13) Sed ideò tantum usurpandæ sunt, ut appareat, quod



quod propenso in mortuos affectu simus, quietem ipsis non invideamus, bene de iis speremus, ac felicitate illorum delectemur. Quo respectu etiam in nostris concionibus funebribus formulam: *Godt verleihe dem Körper in der Erden eine sanffte Ruhe*, non tanquam meritoriam & appreciatoriam, sed tanquam eucharisticam & gratulatoriam subjungimus, qua de re B. Chemnitius (14) & B. J. Tob. Major. (15) evolvi merentur.

- (1) *In Viatico Itin. Extrem.* (2) *Camerar. Oper. Subcis. Cent. I. Cap. III. p. 45.* (3) *Gutherius de Jure Man. Libr. II. cap. XIII. p. 258.* (4) *De officio consolandi s. luctum è re-  
cta ratione minuendi, Lips. pro Loco habit.* M DCLXXXIX. (5) *Tom. VIII. Loc. de morte p. 155. seqq.* (6) *Medul. Theol. Loc. de morte Qv. XV. p. 1427.* (7) *Alex. ab Alex.* (8) *Crantzius in Metropoli Lib. IX. Cap. XXVIII.* (9) *Sen. in Epigr.* (10) *Juvenal. Saryr. VII.* (11) *Virg. Ecl. X.* (12.) *Perf. Sat. I.* (13) *M. Weidneri Disp. de Precibus Gent. religiosis hab. Witteb. MDCXCIX.*  
(14)



(14) *Examen Concilii Trid. p. 3.* (15) *Disp. contra Grotium de oratione pro defunctis.*

§. VI.

A verbis me converto ad facta, visurus quomodo iis mortuos lædere prohibeamur. Ubi partim circa corpus ipsum, partim res huic destinatas cavenda pauca adhuc proponam. Corpora à ψυχα quod imprimis concernit, à consuetudine cum illis plane est abhorrendum. Hæc cautela fortasse cuidam otiosa atque nullius usus videri poterat: Sed & ego ipse, cadaverum contrectatores inventos fuisse tales, qui cum mortuis coire non dubitaverint, vix crederem, nisi Kornmannus (1) ex Herodoto Cypseli Corinthii Tyranni Melissæ uxori jam mortuæ libidinosè se commiscentis exemplum; & funeris Curatorum apud Aegyptios cum corporibus sepulturæ mandandis

venc-



venereum exercitium detestandam libidinem, ex Fulgoso (2) Fabrianensis Piventis cum mortua Clavellorum virgine congre-  
 dientis, foedam voluptatem, & ex Rogero (3) militis stuprum puellæ in Insula Deyfa valde à se dilectæ post mortem illatum, allegaret. Quanta vero cum turpitudine flagitium illud sit conjunctum, latere potest neminem, qui cum Pufendorffio (4) cognoscit, naturali legi repugnare omnem usum membrorum genitalium, qui à fine legitimo, videlicet propagatione sobolis, abit. Eum autem à lascivis mortuorum stupratoribus intendi posse, ne per somnium quidem cogitaverit. Quod si denique invitæ foeminae viventi extra matrimonium commixtionem intentare summum nefas ducitur, multo minus mortuæ castitatis, quam tamen



tamen amittere nequit raptum intendere, crimine vacabit. Et quo foediores bestiarum stupratores, eò magis execrandi mortuorum congressores. Ulterius corpora defunctorum non sunt mutilanda. Cui dictamini repugnare Magospinguedinem atque ossa ipsis adimentes è Grillando Delrio (s) tradit. Ast incantationes cum deterrimum in se sint vitium, quis, defunctorum membris ad instituendas hasce, abuti velle, maximam injuriam esse non perspexerit? Quicquid verò hujus sit, nolo tamen præsens interdictum tam illimitatè accipi, ut Anatomias exinde tolli colligatur, quod à Kornmanno (6) factum esse miror. Facit enim ejusmodi dissectio ad gloriam creatoris ampliandam, ad pietatem hominis accendendam, ad incrementum literarium ulterius

I

pro-



promovendum, ac denique ad  
 utilitatem totius Reipublicæ sta-  
 biliendam. Hinc non solum  
 maleficos licite Anatomix con-  
 cedi statuo, sed etiam cum Clau-  
 dero (7) familiarum quarundam  
 divitum consuetudinem probo,  
 quæ pro causa morbi necisque cu-  
 ratius inquirenda, de mortuos  
 suos cultro submitunt Anatomico,  
 summa tamen modestia offi-  
 cium suum facienti. Tandemque  
 corpora defunctorum semel ter-  
 ræ mandata non sunt effodienda.  
 Hic verò non sermo est de corpo-  
 ribus sepulturæ ad tempus tradi-  
 tis, & ob transportationem ad se-  
 pulchrum familiare vel hæredi-  
 tarium exhumandis. Neque lo-  
 quor hic de violenter occisis à  
 Medicis & Chyurgis ob investi-  
 gandam vulneris lethalityatem  
 e sepulchro eruendis. Multò mi-  
 nus de ossibus ob angustiam cœ-  
 miterii



miterii jussu Magistratus à libiti-  
 nario extrahendis, atque peculia-  
 ri offario hanc in rem destinato  
 inferendis agam. Omnem ali-  
 am tantummodo, quæ absque  
 justa causa fit, effossionem omit-  
 tendam esse, dicam. Neque e-  
 nime a suscipienda est, ut cadave-  
 ra per vindictam malè tractari  
 aut ludibrio exponi possint, quod  
 Cambyses Amasi Regi Ægypti  
 fecit, quem è sepulchro erui, &  
 tanquam viveret, verberibus cæ-  
 di, acutis ferramentis totum pun-  
 gi ac deinde in foro comburi jus-  
 sit; (8) Neque ex ardore habendi  
 tale facinus moliendum, quod  
 Dario sepulchrum Semiramidis  
 aperienti infeliciter cessit; (9) Ne-  
 que ex intempestiva curiositate,  
 qua Xerxes Beli monumentum  
 effodiens agitabatur; (10) Neque  
 tandem sub alio quovis prætextu  
 religionis, Zelum ostendendi,  
 I 2 quod



quod Papistis solenne est, ceu ex Martini Buceri atque Pauli Fagii Cantabrigiæ combustorum exemplis, cheu! apparet. (11) Debitis laudum præconiis efferenda potius Caroli V. religiosa pietas, (12) qui in bello Smalcaldico Wittebergæ templum arcis ingressus Antonio Episcopo Atrabatensi effossionem Lutheri desideranti respondit: *Nongerobellū cum mortuis*. Adesset nunc patula occasio deducendi, qua ratione hoc de non effodiendis mortuis interdictum exceptionem in summe facinorosis intuitu Magistratus legitimi admittat, & quomodo talia cadavera punire cum præcepto de non lædendis mortuis consistere possit. Sed quoniam hæc materia in Cathedra Philosophica à Magnif. Dn. D. Schmidio, Patrono meo æternum devenerando (13) in Cathedra

dra



dra verò Jctorum ab Excellent. Dn. D. Kleinio (14) solide atque nervose fuit ventilata; Hinc L. B. isthuc ablego, properans ad ea, quæ circa res defunctorum quasi proprias cavenda incumbunt. Venit autem in illarum censum sarcophagus seu locus, in quo mortui includuntur, quem exuvias actu jam continentem nulli profano usui secundario applicari fas est, quod tamen temerario ausu à nautis servisque factum esse legitur, corpus exanime Ducis Caroli de Luynes Burdegalam transportantibus, (15) isti enim sarcophago mensæ loco adhibito, cubis ludere non verebantur. Pertinent porro ad defunctos ornatus sepulchralis, monumenta, epitaphia, imagines, statuæ (16) & alia, quibus omnibus studiose parcendum, ne destruantur, vel ullo modo lædantur. Memora-



bile est, quod Suidas de statua Ni-  
conis Thasii pugilis retulit (17)  
eam ab æmulum uno fustibus  
cæsam collapsam esse ipsumque  
oppressisse. Rebus defunctorum  
accensendus quoque erit locus,  
ubi conquiescant, nimirum cui-  
libet mortalitatis memori reli-  
gioni esse debet. Cessabit ta-  
men docente Celeb. Schurtzlei-  
schio (18) quodammodo rerum  
harum externarum immunitas,  
ubi bello ingruente salus publica  
indeclinabilem revellendi neces-  
sitatem injungit.

- (1) *De Mirac. Mort. P. IX. Cap. XLI.* (2) *Lib. IX. Cap. I. De hominum luxu acque delitiis*  
(3) *Chron. Angl. (4) de O. H. & C. L. II. Cap. II. §. II. p. 209.* (5) *Lib. III. Qv. III.* (6)  
*De Mirac. Mortuor. P. IX. Cap. XV.* (7) *Tr. de methodo Balsam. corpora, Cap. I. Sect. I. p. 78.* (8) *Herodor. Lib. III. Camposulg. Lib. IX. Cap. III. cit. Christ. Matth. Theat. Hist. p. 175.* (9) *ex Stobæo & Plutarcho in Apophth. refert. Christ. Matth. l. c. p. 198.* (10) *v. Ælian. Var. Hist. Lib. XIII. Cap. III. p. 659.* (11) *Balei Script. Britann. Cent. IX. p. 762.* (12) *Christ. Matth. l. c. p. 1045.* (13)  
Diss.



*Diss. de pœna in mortuos, hab. Lips. MDCLXXVII. (14) De Executione in cadavere delinquentis Rostoch. hab. MDCXCIX. (15) Adducit è Valson. in Elog. Hist. Viror. in Gall. illustr. Zieglerus in Schrupsatz der 3 it. p. 1294. (16) v. M. Reichii Diss. de Jure Colossorum hab. Hale Magd. MDCXCIX. (17) Libr. VI. Iliac. (18) in Diss. de Jure belli circa fana & sepulchra hab. Witteb. MDCLI.*

§. VII.

Progredior nunc ad alteram quæstionem, quid nimirum sentiendum sit de consuetudine pretiosa quæque imò ipsam pecuniam cum mortuis sepeliendi? Respondetur: Pecuniam in honorificam sepulturam à cognatis atque hæredibus impendi, res existit laudatu digna, hinc etiam, quantum ad decorum defunctorum ornatum sufficit, minime refragatur. Reges & illustres personas præ plebejis ita efferre eorumque funera exornari, ut & in morte discrimen appareat, à me haud improbat, modera-



tum enim sumptum pro ratione status, conditionis, regionis, facultatum ac temporum Syracides (1) permittit, & exempla Sanctorum in Scriptura S. (2) passim probant. Hinc de Abrahamo Ambrosius (3) inquit; *Docemur ejus exemplo, ut non diutius inhaereamus mortuis, sed quantum satis est, officii deferamus.* Et Chrysostronus, postquam valde reprehendisset illos, qui mortuos pretiosis involvunt vestibus atque ita sepeliunt, tandem (4) concludit: *Non tamen sepulturam prohibeo; sed modus servetur, ut tegatur corpus, non nudum mandetur terræ.* Ast luctum convertere in luxum ac humanam miseriam, cujus per mortem nostrorum admonemur, eodem obtegere velle, præposterum atque stolidum omninò censetur. Verum enim manet illud Hiobi:

(5)



(5) *Nudus egressus sum de utero matris meae, & nudus revertar illuc.* Neque non illud Apostoli, (6) *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus.* Multo magis Opes ipsas auream argenteamque supellectilem, quæ neutiquam ad decentem defuncti ornatum requiritur, cum ipsis condere, plane absurdum esse, cum B. Thomasio (7) existimo. *Animam, inquit, hominis mortui ac defuncti cum mundo etiam omnes ejus delicias relinquit, hinc pecunia sive beatis cœlitibus associetur, non indiget, sive ad inferos descendat, juvari nequicquam potest.* Stolidam sepulturæ solennia apud Russos, apud Borussos, apud Servianos, apud Turcas, apud incolas in Orientali Civitate Sachion, & apud Tartaros, quibus in more positum est,



pretiosa quæque imo quandoque ipsam pecuniã sepeliendi, Quenstedt (8) ex variis annotavit Scriptoribus. Quod vero laudabilia Sepulturæ solennia, quæ & nostris observantur temporibus, adhuc attinet, de his D. Christ. Thomasi Dissertatio (9) præ cæteris legi meretur. Interim tamen ad dicta sepulturæ solennia, quæ in specie apud Svecos notatu digna, incidenter & hoc referendum. Pastor nimirum in ipsa defuncti sepultura non pretiosa quæque multo minus pecuniam, sed tres palas terra repletas in tumulum atque capulum injicit. Primam injiciens palam terra repletam, his utitur verbis: TERRAES. Alteram: INTERRAM REVERTERIS. Et tertiam tandem: E TERRA RESURRECTURUS ES. Id quod in oppido quodam prope Lipsiam, quod dicitur  
 Sie-



Liebert Boletwitz, (10) & quidem  
 in sepultura militari magnifica,  
 Sveci cujusdam Magistri Equitū  
 Johann von Silberparr, quippe  
 qui Anno 1706. d. 30. Septembr.  
 diem ibi obiit supremum, & in  
 Templo, indulgente Domina  
 Collatrice, d. 7. Octobr. sepelie-  
 batur, ipsemet observavi. Reji-  
 citur itaque plane hic mos, & qui-  
 dem primò legibus civilibus (11)  
 ubi sermo est de religiosis & sum-  
 tibus funerum sequentis tenoris:  
*Non oportet ornamenta cum cor-  
 poribus condi, nec quid aliud hu-  
 jusmodi, quod homines simplicio-  
 res faciunt.* Si vero mihi hoc lo-  
 co aliquis objicere vellet: Quid  
 si ipse defunctus, cujus voluntas  
 alias sanctè observatur, in testa-  
 mento talia fieri jusserit, nonne  
 tenentur hæredes jussa ejus perficere?  
 Respondeo: Minime ob-  
 stricti sunt, quinimo ipsa lege ci-  
 vili



vili ab obligatione ejusmodi testamenti liberantur: *Ineptas voluntates defunctorum circa sepulturam (veluti vestes, aut si qua alia supervacua,) ut in funus impendantur, non valere; Papi- nianus (12) scribit. Qua etiam lege usus fuit Theod. Rex, ille enim thesauros in sepulchris repertos in commodum publicum adhibere Dudaë Sajoni injunxit (13) his verbis: Ideo moderata iussione decernimus, ut ad illum locum, in quo latere plurima suggerantur, sub publica testificatione convenias: Et, si aurum, ut dicitur, vel argentum fuerit, tua indagatione detectum, compendio publico fideliter vindicabis, ita tamen, ut abstineatis manus à cineribus mortuorum. Edificia tegant cineres, columna vel marmora ornent sepulchra; Talenta non teneant, qui commercia vi-*



*vorum reliquerunt. Aurum enim*
 juste sepulchris detrahatur,
 ubi Dominus non habetur; Imò
 culpæ genus est, inutiliter abdita
 relinquere mortuorum, unde se
 vita potest sustentare viventium.
 Non enim est cupiditas, eripere
 quæ nullus se Dominus ingemi-
 scat amisisse. Maxime quoque
 huc spectat illud effatum: *Non*
 sit locus religiosus, ubi thesaurus
 invenitur: Nam etsi in monu-
 mento inventus fuerit, non quasi
 religiosus tollitur; quod enim se-
 pelire quis prohibetur, id religio-
 sum facere non potest, ut & man-
 datis Principalibus cavetur. Et
 pristinis quoque temporibus Lex
 ista fuit observata. Nam summa
 Davidis autoritas non obstitit
 Hircano Pontifici, ille enim,
 prout Josephus annotavit, ab
 Antiocho, Demetrii filio, cogno-
 mine Pio oppugnatus, pecunia
 de-



deficiens aperuit Davidis monumentum & prolata tria talentorum millia, ad solvendam nimirum Hierosolymorum obsidionem convertit, ea quæ relicta erant, post complures annos Herodes Rex secum abstulit. De Davidis autem sepulchro plura sunt, quæ apud Josephum (14) videri possunt. Rejicitur autem mos iste sepeliendi pretiosa aut pecuniam cum mortuis secundo etiã sana ratione. Ista enim injustum esse judicat opes ex commercio viventium furripere, & mortuis nulla in parte profuturas sepelire. Cui enim bono mortuis pecunia? Quam parum enim opes conditæ defunctis usui sint, tristis abunde declarat eventus, fures scilicet spe lucri invitati, sepulchra demoliuntur, corpora disjiciunt & proterve violant. Alexius Angæus Græcorum Imperator, re-  
cen-



censente Erasmo Francisci (15)  
 pecuniæ indigus è templo aurea  
 vasa in usum convertere non eru-  
 bescens, Casarum quoque condi-  
 toria perscrutatus est, spemque  
 firmissimam habuit, in sepulchro  
 imprimis Constantini M. ingen-  
 tes invenire thesauros, ast frustra!  
 Ornamenta enim omnia à furi-  
 bus, qui eum anteverterant, di-  
 repta esse, perturbata haut dubiè  
 cognovit mente. De Philippo  
 Minutulo, Imperatore quodam  
 Neapolitano Boccacius (17) scri-  
 bit, quod multa pretiosa cum eo  
 fuerint sepulta, quæ omnia verò  
 è sepulchro ejus latrones postea  
 spoliavissent. Tempore quoque  
 Antonini M. milites quidam, ut  
 Titius (17) annotavit, in Seleucia  
 sepulchrum aperuerunt, spe freti,  
 ingentem ibi pecuniæ summam  
 inveniendi, sed pestilentissimum  
 sepulchrum hoc odorem exhala-  
 vit,



vit, qui toti mundo magnam intulit stragem. De urbe quadam in Pommerania sita, quæ dicitur Wolgast, relatum legimus (18) quod ibi Principum sepulchra à custode pariter ac vespillone aperta, thesaurus ablatus, ac omnia pretiosa spoliata fuerint, quæ pro magna pecuniæ summa Judæus ab ipsis emit Gryphiswaldensis, qui deinceps captivus vitam cum morte commutavit, fures vero fuga supplicio se subtraxerunt.

- (1) *Cap. XXXVIII. v. 17.* (2) *Gen. L. v. 1. Matth. XXVII. v. 59. Job. XIX. v. 39.* (3) *Lib. I. Cap. IX. super illud Genes. XXIII. Surrexit Abraham de officio funeris.* (4) *Homil. LXXXIV.* (5) *Cap. I. v. 21.* (6) *1. Tim. VI. v. 7.* (7) *Program. Cap. I § VIII.* (8) *De Sepultura Veterum p. 361. seqq.* (9) *De Jure Principis Evangelici circa solennia Sepultura, Hale Magdeb. habita d. 8. April. MDCCII.* (10) *Von welchen Orte der Herr Hübner in seinen Realen Staatszeitungs-Lexico p. 1698. folgendes als etwas notables remarquiere: Liebertwolkwitz ein Städtlein in Meissen, 1. Meile von Leipzig, allwo 1707. den 1. Septembr. die*  
*Tracta-*



*Tractata* wegen der Schlesiſchen Religions-  
 Freyheit, ſo zu Altranſtadt zwiſchen dem  
 Kayſer und Könige in Schweden *Carolo*  
*XII.* geſchloſſen worden, von gemeldten Kö-  
 nige auf ſeinem Abmarſche aus Sachſen  
 und dem Kayſerl. Miniſtre Graf von *Wra-*  
*ſiſlaw* unterſchrieben worden. (11) *Leg.*  
*XIV.* §. 5. ff. (12) *Lib. III. Reſponſorum.*  
 (13) *Apud Caſſiod. Lib. IV. variar. Epist.*  
*XXXIV.* (14) *de bello Judaic. Libr. I. Cap.*  
*II.* (15) *Schaub. P. III. p. 926.* (16) *Libr.*  
*III.* (17) *Exempelbuch. p. 1705.* (18) *in No-*  
*vell. ord. Lipſenſ. 1688.*

§. VIII.

Talia igitur evidentissima da-  
 mna ex isto ritu profluentia pro-  
 bè secum perpenderunt S. Patres,  
 vehementer itaque omnem lu-  
 xum & ostentationem circa se-  
 pulturam detestati sunt. Hiero-  
 nymus inquit: (1) *Cur & mor-*  
*tuos vestros auratis involvitis*  
*vestibus? Cur ambitio inter lu-*  
*ctus lacrymasque non cessat? An*  
*cadavera divitum, nisi in serico*  
*putrescere nequeunt?* Huic assen-  
 titur S. Chrylostomus (2) dicens:

K

Tu



Tu cum audieris, nudum Dominum resurrexisse, cessa quaeso, ab insana funeris impensa. Quid sibi hoc superfluum vult & inutile dispendium, quod ipsis qui faciunt, plurimum adfert detrimenti, mortuis nullam utilitatem, vel damnum potius; sumptuosa namque sepultura interdum causa est, ut fures cadaver effodiant & nudum & insepultum projiciant; Et paulo infra: quod ego non ut sepulturam tollā, dico, absit, sed luxuriosam & superfluam ambitionem. Subjungit & hæc verba: Dominum non addidisse, mortuus fui, & sepelivisti me, quia sponte sua homines non solum hanc Eleemosynam facere solent; sed etiam nimium in ea facienda excedere. Pertinent huc quoque Ambrosii verba, quæ Quenstedt (3) repetit sic sonantia: Quid proficit sepulchro-



*chororum superbia? damna sunt potius viventium, quam subsidia mortuorum.* His addam verba Drexelii Jesuitæ (4) dicentis: *Sape funeris sumptuosa nimium pompa est, ipsis mortuis induimus superbiam. Ah! quid ista manes juvant? Verbo veteri non raro dixeris: Honorantur ubi non sunt, & ubi sunt, cruciantur.* Si itaque luxum & ostentationem circa sepulturam adeo detestati sunt, multo magis repudiarunt pecuniam ipsam cum mortuis sepeliri.

(1) In fine libri de vita Pauli Eremitæ. (2) Homilia LXXXIV. (3) Tract. de sepult. veter. Cap. XIV. (4) In Tobia Part. I. Cap. IV.

§. IX.

Accedo tandem ad tertiam quæstionem, quam paulo accuratius, brevissimis tamen adhuc disquirere, operam dabo. Quæritur vero: Quid sentiendum de ritu, nummum in os defuncti indendi? Dum quæstionem

K 2

isthanc



isthanc ventilare ejusque morali-  
tatem expendere animus est, mi-  
nime respicio in genere ad om-  
nes gentes, quibus in more po-  
situm fuit, defunctos suos hoc ri-  
tu terræ mandare, sed de Chri-  
stianis in specie loquor, qui con-  
suetudinem hanc ab Ethnicis ac-  
ceptam, in sepeliendis suis defun-  
ctis adhibuerunt. Ethnicos igitur  
hic mitto; Mens enim ipsorum,  
dum lumen rationis datâ o-  
perâ suffocarunt, Dei permissu  
ita excoecata fuit, ut non solum  
vera & salutari cognitione Divi-  
ni Numinis destituti, sed etiam  
ipsi in sensum reprobum dati fue-  
rint, ex quo deinceps factum est,  
ut innumeros fere Deos sibi finxe-  
rint, & in absurdissimas supersti-  
tiones prolapsi fuerint, inter quas  
omninò referri meretur nummos  
in ora defunctorum immittendi  
ritus. Neque etiam de Judæis, qui  
iti-



itidem hunc ritum à Gentilibus acceptum usurparunt, sermo mihi erit, sed uti jamjam monui, de Christianis solummodo. Certè vix mente satis comprehendere quis potest, cur inter Christianos quoque hic mos, nummos in ora defunctorum indendi, irrepsit, imprimis si duplicè finem, quem superstitione isthac intenderunt, respiciamus, de quo Cap. I. §. IX. prolixè actum fuit. Meritò hinc rejicitur ritus iste, primò, quia unicè Gentilismum redolet, & ejusmodi mores in religionem Christianam introducit, qui corruptam Gentilium mentem agnoscunt autorem. Priori enim capite de Gentilibus dictum fuit, quod paludem sibi finxerint, quã post fata animæ trajicere deberent, utque illud felicius fieret, Naulum quoddam squalido Nautæ, Charonti scilicet, afferre proficuum



ficuum putarunt. Ex quo conspicitur, rationem sibi relictam de existentia quidem leviter vitæ futuræ, neūtiq̄am autem de ejus conditione certam esse. Linq̄uenda igitur est ratio in iis, quæ sphaeram ejus excedunt. Non enim recta ratione conveniunt, nec revelatæ Salutis nostræ cognitioni repugnant, in usum suum convertere, aut in hac parte gentilium vestigiis insistere. Multa enim certè sunt, quæ in cultura rationis, naturæ per investigationem, rerumque gestarum cognitione suppeditant ipsi gentiles, quæ non sine maximo emolumento ab ipsis petimus, sed mores ipsorum absurdos, rationique nullò modo conformes imò noxios assumere tantum abest, ut svadeamus, ut potius Christianis eò magis ab istis abstinendum esse existimemus, quo longius veritas doctrinæ



etrinæ Christianæ ab absurdis  
 Gentilium fabulis aut nugis anili-  
 bus differt. Quicquid enim ho-  
 mo ex lumine rationis de vita al-  
 tera dixerit, nil nisi meras conje-  
 cturas cum formidine oppositi  
 fluctuantes dixerit. Rejicitur se-  
 cundo etiam vel ideò, quia duo  
 in specie præsupponit falsa, quæ  
 cum religione Christiana mini-  
 me stare possunt. Falsum omni-  
 no est statuere, quod animæ à  
 corporibus separatæ redire pos-  
 sint, aut viventes turbare. De a-  
 nimabus etenim piorum è S. Scri-  
 ptura (1) certissimè constat, illas  
 statim post dissolutionem à cor-  
 pore in locum venire beatorum  
 & ἀπ' ἀρτί beatas esse, nec opta-  
 bunt in his terris ulterius vagari.  
 Impiorum autem animæ in lo-  
 cum æternæ damnationis abjici-  
 untur, ibique docente Scriptura  
 S. (2) ἐν Φυλακῇ tenentur. Quis

K 4

igi-



igitur crederet, illas adhuc in ter-  
ris circumvagari posse? Monstra-  
tò hòc falso & illud subungere  
possumus, quo putant, mortuos  
amore in relictam pecuniam tan-  
gi. Non equidem credam, quod  
ejusmodi homines inveniantur,  
qui statuunt, mortuos etiam in  
altera vita auri argentique usu  
gaudere. Etenim si quis hanc  
auri argentiq; utilitatem adstrue-  
re annifus fuerit, certe & hoc lar-  
gietur absurdum, commercia  
tractari.

(1) *Apoc. XIV. v. 13.* (2) *1. Petr. III. v. 19.*

§. X.

Inquirendum adhuc, an mor-  
tui etiam instar porcorum man-  
ducent & lintea devorent. Non  
equidem in dubium vocare volo,  
quod Diabolus circa sepulchra  
aut monumenta defunctorum  
tumultum excitare possit, homi-  
numq; mentibus timorem incu-  
tjat,



tiat, aut ad superstitionem conducat; sed quod defuncti, qui in sepulchris istis conditi jacent, auctores strepitus istius sint, qui circa ipsorum monumenta auditur, id nullâ ratione evinci poterit; Multò minùs autem credere fas est, quod mortui inhumati tantoque pondere terræ onerati porcorum instar manducent, ita ut sonus inde à prope adstantibus audiri queat. Et licet exempla adferantur, quorum nonnulla ab autoribus Cap. I. §. IX. allegatis recensentur, quod cadavera postea effossa integra fermè lintea deglutiverint, mera Satanæ sunt ludibria, quibus & vivorum & mortuorum quærit perniciem. Primò enim piè quamvis placideque in Domino denatos, inque manu Dei suaviter quiescentes, apud superstites in eam suspicionem adducit, ut, cum contra natura

K 5

turam



turam mortui quoque non possint esse quieti, sed absurdo ac foedo in sepulcris sono, præter exemplum se aliosque turpiter fatigent, nequiter vitam illos traduxisse, jamque Deo, justo scelerum vindici, commeritæ poenæ quasdam quasi primitias dare, arbitrentur. Nec famam solum, vitam & fidem præstigiis istis pie defunctorum Diabolus traducit, verum etiam corpori ignominiam aliquam maculam imprimere studet. Sæpe enim compertum est, male sanos eò fuisse furoris illusionibus istis redactos, ut aperto sepulcro in mortui cadaver debacchati, cultro acuto caput nefariè non minus quàm crudeliter absciderint. Posthæc, quia Diabolus homicida ab initio est, istis ludibriis suis plures ad mortuos amandare studet. Reclusis enim ad cohibendum sonum sepulcris,



pulcris, malos odores exhalare, quis non intelligit? Quibus cum aer inficiatur, quo homines pecudesque vitam & spiritum ducunt, contagio quodam eos vita exui manifestum est. Nulla profecto ratione per naturam fieri potest, ut cadaver omni vita & motu destitutum tale quid faciat, ad quod motus & vita requiruntur. Ethnici sapientiores jam in proverbio hoc cognoverunt dicentes: *Οι τεθνηκότες ε δάμνησι*. Sermo mihi hoc loco est, quod probe notandum, de verè, ne utiquam verò apparenter mortuis. Multi enim per dies aliquot omni vita sensibili carere visi sunt, & id propter mortuis annumerati. Natura tamen, ut quasi reviviscerent, quibus potuit modis, mirifice præstitit. Veritas facti indubia est, & tot scriptorum monumentis confirmata. Enimverò sunt, qui



qui pro mortuis habiti inter effe-  
 rendum revivixerunt ; Sunt qui  
 elati jam ex sepulchris magno  
 cum strepitu redierunt. Plinius  
 peculiare hac de re (1) conscripsit  
 caput. Huic qui adstipulentur  
 non desunt alii. Apulejus (2) de ho-  
 mine *Φαινομένως* mortuo elegan-  
 tem annotavit historiam. Di-  
 gnissimum memoratu præ cæte-  
 ris est illud, cujus memoriam Au-  
 gustinus (3) ad posteritatem pro-  
 pagavit. Tandem nec prætere-  
 undū silentio est, quod annotan-  
 te Horstio (4) Ao. MCCCLVII.  
 Coloniae Ubiorū accidit. Hacten-  
 us exempla allegavi ex priori-  
 bus seculis. Nunc recentiora  
 prosequenda essent, sed verendū,  
 ne & tempus deficiat & opera  
 perdat, quandoquidem nulla  
 vel provincia, vel urbs facilè exi-  
 stit clara, quæ non aliquot de se  
 recensere norit, quorum exem-  
 plum



plum speciale de vitriario Witenbergensi Kirchmaierus (5) narrat. Investigantur quoque ab eo causæ, quod nonnulli, qui mortui sunt visi, revivixerint. Adducit quorundam opinionem, qui docuerunt, animas suo exire corpore, idemque, ubi opus, vicissim ingredi. Quos inter Paracelsus teste Libavio (6) & Kornmannus (7) Magius quoque annotante Dalechampio (8) de animarum post obitum recursum multa refert, atque ex eo etiam decidit quæstionem, cur præsentem occisore occisus stillet sanguinem. Hi proinde & alii Autores totum negotium explicant per egressum & regressum animarum liberum. Sed impium & abominandum dogma meritò his refutat verbis: *In manu Domini, inquit, anima requiescunt, è corpore cum exierunt: Nullus naturaliter regressus*



*sus à privatione totali ad habitum datur.* Animas separatas cū corpore redunire non nisi divinæ virtutis est; ne plura hujus rei in sacro codice, quàm septem extant exempla, præter illud insigne τὸ Κορίθ, ut observatum Cedreno in vita Tiberii Addit & suam veram sententiam ostenditque, cur anima ab operationibus suis cesset. Declaratur modus, quò Φαρμομένως mortui reviviscant. Indicatur, quod nonnunquam mira visa habeant. Subjunguntur hujus rei varia exempla. Redditur causa. Mortui, inquit porro, per dies aliquot non immeritò asservantur, antequam tradantur sepulturæ, id quod observandum etiam Camerarius (9) svadet. Ita etiam tulit veterum consuetudo. Apud Græcos septendecim diebus domi sunt servati, antequam cremarentur mortui. Hinc & Homerus Achillem diebus noctibusque totidem defletum & octavo decimo combustum Odyss. (10) tradit. Nec Romani festinarunt defunctos. Multa, ceu ex Kirchmanni funeribus Romanorum constat, funerationi præmiserunt, quorum illud præcipuum, quod itendidem coram mortuis ediderint clamorem, ut vel egressuram animam retardarent, vel in corpore delitescentem expergefacerent. Et de hac conclamatione  
ne



ne & conclamatis supra dictus Kirchmaierus loco infra citato quoque pluribus agit, ventilatque quæstionem : An vociferando delitescens anima resuscitari possit? Denique breviter ab ipso pertractatur controversia : An anima corpore egressura per clamorem detineri queat? ejusmodi apparenter mortui in tumulo quidem, si reviviscunt, strepitum excitare valent, minime verò verè mortui ac sepulti, rumoris autores esse, multò minus porcorum instar manducare ac lintea devorare possunt; sed Diabolus ob causas sibi optimè notas, defunctorum corpora, speciali Dei permisso, ingreditur, motusque eorum & operationes dirigit ad tempus, animam verò informantem reducere neutiquam potest. Asserti hujus absurditas tandem eò dilucidius apparet, si consideramus, quod fiducia nostræ, quam unice in Deo collocare debemus, repugnet; Ista enim neutiquam permittit, ut ab alio aliquid sive boni sive mali expectemus, quàm à Deo (11) Hinc Tertullianus inquit : *Nec in porcorum gregem Diaboli legio habuit potestatem, nisi eam à Deo impetrasset, tantum abest ut in oves Dei habeat. Possum dicere, porcorum fetas tunc numeratas apud Deum fuisse, nedum capillos Sanctorum.* Qui autem has inanes curant traditiones, ipsarum etiam effecta time-

ment,



ment, & per consequens non à Deo, sed ab alio mala sibi immitti credunt. Omnipotentiae quoque divinae detrahit, si credamus, quod mortuorum talis manducatio fatalem familiarum exitum causetur, negatur enim tali modo implicite, quod solus Deus hominibus terminum vitae praefigere soleat, quum tamen expresse nominatur (12) mortuorum & viventium Dominus. Certissimum igitur est, quod haec traditio inventum sit Satanæ, quo homines à vero Deo & fiducia in eum abducere, suum contra regnum ampliare laborat. Omnem itaque fiduciam in toto vitae nostrae curriculo solummodo in mortuorum ac viventium Domino collocare debemus, ejus enim in potestate unice positum est, totam familiam mortis crudelitate extirpare, quinimò benignitati ejus adscribamus, si iterum Angelum percussorem verbo alloquitur solatii pleno:

S U F F I C I T.

- (1) *In hist. nat. Libr. VII.* (2) *Libr. VI. Florid.*  
 (3) *Libr. de Cura mortuorum.* (4) *Cap. IX. med. Mir. Marcelli.* (5) *In Disp. de hominibus apparenter mortuis. bab. Witteb. M. DCLXX.* (6) *de Cr. Cad. p. 173.* (7) *de mir. mort. Part. IX. Cap. XXIII.* (8) *ad Lib. VII. Cap. LII. Plinii* (9) *Cent. VII. Mirab. naturæ arcanorum.* (10) *Libr. XXIV.* (11) *Amos III. v. 6.* (12) *Rom. XIV. v. 9.*

SOLI DEO GLORIA.



Hb 659.

8

ULB Halle

3


007 417 500



v. D. 18

mit.









Farbkarte #13

B.I.G.

B. V.  
 HISTORICO-  
 ALIS  
 IN ORE  
 TORUM  
 RTIS,  
 M  
 CUM  
 SEPULTURA  
 IM, JUDÆO.  
 TIANORUM  
 REMONIIS,  
 ERATO  
 T  
 HRENFRIED  
 RT,  
 LIPSIAE,  
 CHRISTOPHORUM  
 , 1712.

